DE DILUVII UNIVERSALITATE DISSERTATIO PROLUSORIA.

GENEVÆ.

Apud PETRUM COLUMESIUM,

M. DC. LXVII.

Æquo Lectori.

VEnit mihi in manus hæc Dissertatio paucis ab hinc diebus ab Autore summissa, ut viserem; quidve porro de ea sentirem, ipsi renuntiarem. Legi ac percurri equidem accurate & sedulo, & ne mihi crederem uni, aliis quoque legendam tradidi, amicis sapientibus æque ac doctis: quorum fere omnium sententia fuit, videri opus dignum luce admodum, eruditionis, nec non & latinitatis haud vulgaris. Scripsi itaq; ad Autorem de hoc tum meo tum amicorum judicio, autorque ipsi adeo fui ut dare publico ne abnueret, illud-

que è ſacro Proverbior. lib. protuli : *Deriventur fontes tui foras*; quo Sapiens admonet, eos qui penes ſe habent quod prodeſſe queat, aliis ut communicent. Diſtulit ille paululum reſcribere, ac demum ſibi non placere reſpondit, publico committi commentationem hanc ſingularem, ſtatus merè conjecturalis, quæ, ut veriſimilitudine & probabilitate ſua non careat, probatum iri omnibus ſperandum non ſit; gaudere quod mihi & amicis viſa ſit probabilis; cæterum in vulgus proferri ac publicæ quoruncunque, etiam malevolorum, cenſuræ nolle objici, fœtum eſſe, cui nec riſere Parentes, nec Lucina naſcenti adſuit

fuit, projectitium ac pœne abortivum, de quo nihil quicquam exſpectandum parentibus boni aut commodi. Ita nimirum ille, ut illa quondam Jchabodi mater, de ſuo partu judicat, quem adoxon, inglorium & indecore haberi vult.

Verum quoniam obſtetricum eſt potius, quam parentum de fœtu judicare, viſum eſt, cum mihi, tum pleriſque eorum qui mecum unà hoc opus viderant, habito inſuper Autoris judicio, id luci edere, nec fraudandum hac lucubratione publicum; ne ſimus ſimiles hominum eorum qui ex Apoſt. Rom. 1. *veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Itaque prælo ſub-

dendum curavi: Tu, mi Lector, fruere, & boni consule, & Autori quidem quam promeretur gratiam & laudem, mihi, quam posco, benevolentiam ne denega. Vale.

DE

DE DILUVII UNIVERSALITATE DISSERTATIO

PROLUSORIA.

DE Diluvio, quod vocant Noëticum, in Geneſis Moſaicæ contextu dicere paranti multa occurrunt ſane difficilia ac pœne paradoxa, quibus evolvendis operæ longioris & majoris opus ſit: Cæterum verò unum eſt maxime, quod ſe prima velut fronte objicit; & primum mihi omnium videtur hic exponendum; fueritne videlicet Diluvium hoc (ut vulgo creditur) uſque adeo univerſale ut totum uſquequaque orbem terrarum, quàm late patet, occupaverit: vel certe unius dumtaxat pártis, & cujuſnam porrò habendum ſit? quo de nemo quiſqüam eſt Interpretum, vel Scriptorum (quem certe equidem viderim hactenus) qui diſputationem ſibi ex profeſſo inſtituendam duxerit: quippe quod pro certo ac rato ſemper, proque Catholico dogmate habitum ſit, Diluvium hoc Univerſaliſſimum & Terrarum latè omnium fuiſſe; ita ut,

Finalis quæſtio quæ de finibus generalis Diluvii diſceptatur.

quod de Camarina olim dici consueverat, eam moveri à quoquam nefas esse, huc referri jure queat. Nos tamen superstitione hac soluti, vel certe melioribus fretis auspiciis, non Camarinam quidem illam, sed quæstionem hanc de Diluvii Universalitate movendam suscipimus. Et vero si Noëmus ipse mortibus undique ac naufragiis obsessus, tot tantorumque periculorum nulla ratione habita, sub Columbæ unius auspicio non est veritus Arcæ septis prodire, seque lubrico adhuc ac malefido terrarum solo committere: & nos quoque hoc ipso tempore quo hæc scribimus, Columbam nacti sumus, potiorem utique illam, multoque auspicatiorem; Illum videlicet Spiritum, cujus afflatu Apostolos summa quæque utriusque instrumenti mysteria edoctos esse, sub hos dies solenni ritu profitetur Christi Ecclesia. Itaque ejusdem Spiritus seu Columbæ prorsus divinæ instinctu auspiciove quæstionem hanc de Diluvii Universalitate attentabimus. Utque ordine ac methodo progrediamur: Primùm rationes ad argumenta, queis Diluvii Universalitas adstruitur proferemus; ac tum quid porrò sentiendum sit, explicabimus.

Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël, & erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Actor. 2.

Ar-

Argumenta igitur quibus potissimùm nititur Universalitas Diluvii sunt Scripturæ verba, quæ tam clara, & expressa videntur, ut temerarium semper sit habitum ea secus interpretari: visumque adeo fuerit ne dubitationi quidem ab eis locum aut ansam relinqui. Ecquid enim expressius clariusve dici vel fingi potest, quàm illud cap. 7. Gen. *Ut salvetur semen super faciem universæ terræ*; & mox. *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cœlo.* Nec non & illud: *Aquæ enim erant super universam terram*, cap. 8. Quid quod de cunctis, non hominibus modo, sed animantibus etiam quæ uspiam terrarum erant, fertur aquis obruta ac mortua fuisse: imò & substantiam omnem deletam: *Delebo* (inquit Deus) *omnem substantiam quam feci de superficie terræ*; ac rursus: *Consumpta est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram, universi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua sunt, & delevit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucre Cœli; & deleta sunt de terra; remansit autem solus Noë & qui cum eo erant in arca.* An non

PARS I.

Pro universali terrarum late omnium inundatione videtur facere admodum Scripturæ textus.

non hæc Diluvii Universalitatem plus satis evincere nata apta sunt; næ id ita esse visum plerisque omnibus, uti modo dictum est, indeque persuasum fuit, Diluvium hoc Noëticum Universale prorsus, id est, toto terrarum orbe grassatum fuisse, atque hoc tam certum fixumque est habitum in vulgus, ut nemini in mentem umquam venerit, vel in dubium vocare. Et verò sane, ad hominum universalitatem quod attinet, neminem toto terrarum orbe hominem extitisse, qui Diluvium hoc evaserit, exceptis qui cum Noëmo erant in arca, arguunt ex hoc ipso textu proxime allegato; *remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca*; multoque etiam certius ex testimonio Petri Epistolæ prioris cap. 5. quod fert, *non nisi octo animas è Noëtico hoc Diluvio fuisse reservatas*; itemque posterioris, cap. 2. ubi perhibet *Deum originali mundo non pepercisse, sed Noë octavum Justitiæ præconem custodivisse, dum mundo impiorum Diluvium induceret.* Quæ quidem testimonia adeo manifestaria peremptoriaque in eam rem visa sunt, ut pro fidei dogmate res ea jam vulgo habeatur. De animantibus pariter quæcumque terras incolunt, licet non æque certum forte videri

queat,

queat, est tamen ejusmodi, ut negari sine aliqua temeritatis nota vix posse credant: quid namque, inquiunt, ni ita sit, iis Scripturæ testimoniis fiet? quibus toties toto cap.6. libri ejusdem Gen. id exprimi palam est, ut quando sub initium jubetur Noë *ex omnibus animantibus mundis tollere septena & septena, masculum & fœminam; de animantibus verò immundis duo & duo, masculum & fœminam; sed & de volatilibus Cœli septena & septena, masculum & fœminam, ut salvetur semen super faciem universæ terræ.* Sed multo etiam disertius sub finem, ubi dicitur, *consumpta esse omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram, universi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua feruntur*: ac demum; *& delevit omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quàm volucres Cœli, & deleta sunt de terra.* En queis confieri omnino videtur nullum esse animal exceptis aquatilibus, quod Diluvium evaserit. Quamobrem, cum vel ubique terrarum fuisse jam animalia, vel certe, nisi Diluvium terras omnes quaqua versum occuparit, facile eventurum sit credi-

bile, ut aliquod elabi, seque aquis ingruentibus subducere, saltem è volucribus, potuerit; argumento utique haud aspernabili est, nullam terræ partem fuisse quam Diluvium non occupaverit.

Atque hactenus de rationibus quæ Diluvii Universalitatem concludere videntur: quibus ipse ultro manus darem, meque universorum iis assentientium velut torrente abripi sinerem, ni Noë ipsius exemplo viderem mihi præsto esse, quo generale hoc præjudicium declinare tuto ac jure possim. Certe exceptiones aliquæ haud desunt, quas dum in medium profero, te judicem, Lector, fero, ut pro tua æquitate, quod in hac causa æquius videbitur, pronuncies; tuo stare judicio certus. Causæ igitur controversiam sic explico.

PARS II. Equidem quoties cogito terræ ambitum omnem circumquaque aquis submersum, ac propemodum ad idem unde initio emoliente Deo emerserat Chaos redactum, non queo quin admiratione, atque aliquo etiam horrore percellar, dum subit illam contemplari abyssum quæ toti terrarum globo, pilulæ unius instar, absorbendo par fuerit; quanto potiori jure hic dicere liceat:

Omnia

Omnia pontus erant, cumulusque immanis aquarum
Complexum late orbem circumquaque tenebat.

Quod si considerare hæc subeat, quod Scriptura prodit, tantopere aquas prævaluisse super terram ut operti sint omnes montes excelsi sub universo Cœlo; idque adeo quod subditur, quindecim cubitis altiorem fuisse aquam super montes quos operiebat; proh! quis jam merito non exclamet, *Heu quanti montes volvuntur aquarum*? An non hic imago quædam immensæ illius voraginis, seu abyssi? quæ principio rerum, quicquid Cœlum inter & terram patet, oppleviffe credita est. Certe ut hoc ad momenta rationum, atque ad Mathematicorum amussim exigatur; cum jam variis Mathematicorum experimentis & Historicorum narrationibus compertum sit, montis altissimi verticem supra Oceani libramentum perpendiculariter erectum eminere ad duo milliaria: ex Scriptuta autem constet quindecim cubitis altiorem fuisse aquam super montes celsissimos; necesse autem fuerit aquam undique, utpote in orbem compactam, æqualiter in toto circumquaque ambitu expandi: hinc consequens fateri, aquas Diluvii,

Oceanos decem eoque etiam amplius æquasse. Quod cum ita sit, non apparet profecto, unde tanta vis & copia aquarum existere potuerit, absque nova procreatione novæ alicujus materiæ, quod Theologorum scholæ haud facile approbarint.

Fromond. l. 5. Meteor. c. 6. art. 5. Adlaboratum sane quidem est à plurimis, ut, unde tantum aquæ elici ac peti posset, nanciscerentur. Aliquibus visum è mari accersere: at his quod est in proverbio obtigit, ut *dum cuppam implere satagunt, dolium depleant*; nempe cum jam constet non tantum circa terras, sed ipsa quoque maria, è quibus una cum terra unum fieri globum volunt Cosmographi, Diluvium extitisse, ita ut aquam circumquaque in orbem compactam globum quendam perfectum, ac veluti Mathematicum, circa mundi centrum effecisse censendum sit, quis non videt quantum è mari aquæ detrahitur, quo terra operiri valeat, tantundem mari porro ipsi defuturum, quo partes suas locumve expleat: ut omittam hic quoque graves esse authores, qui mare Diluvii tempore terras inundasse, vel suis finibus egressum negent: è quibus sunt Rupertus, & Cajetanus, Doctorum par inclytum. Et vero, cum Moses tam accurate ac luculenter, quæ sunt Diluvii

vii omnia exsecutus sit, ut nihil ab eo prætermissum videri queat; maris tamen non meminisse vel legenti patet. Quod mihi certe quidem haud levi argumento esse videtur, ad Diluvium nihil admodũ è mari accessisse: licet Interpretũ vulgus, atq; adeo è SS. PP. aliqui, ut in re extrema assolet, obvia quæq; arripientes, quo difficultati huic de aquarum immensa vi satisfiat, ad mare perfugium habuerint; sed si ad Physicorum & Mathematicorum normam res exigitur, quanto aliter se habeat facile apparet. Quare alii hoc animadverso, & mare hic quoque semper infidum infestumque experti, alio se receperunt: & quidem aliqui ad id quod proximum fuit, ad abyssum videlicet subterraneam, cujus fontes disruptos Scriptura memorat: Sed nihilo plus inde opis est, opinor: nam ut verum quidem sit, ex abyssi ruptis fontibus suppeditatum Diluvio aquæ longe plurimum; attamen, quod de mari modo diximus, hic quoque valeat necesse est: Cavendum scilicet ne dum forte aqua hinc quæritur, quo Diluvii abyssus expleatur, indidem abyssum subterraneam depleri contingat, sicque sacrum illud adagiale hic qnoque locum habeat. *Abyssus Abyssum*; ut juxta Hieronymi ex-

Plus nimio aquarum opus sit obvolvendo fibrarum orbi universo; & quidem ad altitudinem usque quindenũm cubitorum supra montes altissimos.

expositionem Proëm. lib. 2. in Zachar. idem sonet ac penes prophanos *è Scylla in Charybdim* : quid namque aliud accidit, quam ut dum via tentatur difficultate una sese expediendi, incurratur in alteram & quidem fortè haud paulo minorem. Vidit hoc Bonfrerius, dum in caput Genes. versu 11. ita scriptum fecit: *Petes unde ista imbrium copia?* ratio dubii est : cum verisimile sit, nullam de novo materiam esse procreatam, necesse est, vel è mari, vel ex aëre materiam hanc imbrium esse desumptam. Porro si dicas è mari copiosos vapores sursum evocatos in imbresque conversos, jam tantundem aquæ detraxeris mari quantum addis nubibus, ut perinde fuerit ad inducendum Diluvium, sive hæ aquæ in mari remanserint, sive in pluvias dilapsæ sint; sin autem imbrium materia aliunde quam è mari accersita fuerit, non videtur unde sumi potuerit, quam ex aëre, qui in istiusmodi imbres conversus fuerit. Jam autem hoc si demus, magna aëris portio in hos imbres consumpta fuerit : si enim verum est quod Aristoteles & Philosophi tradunt, cum ex aëre fit aqua, propter illius raritatem & hujus densitatem, aëris materiam in decuplum assumi oportere, certe vix aëris

Undenam pot. è tanta aquarum copia promi queat.

aëris tota inferior regio potuit his tam copiosis imbribus esse satis. Fateor rem hanc nonnihil esse difficilem: ait ille; quem quomodo se hac difficultate expediat, tu videre potes, & perpendere: mihi enim dictis aliorum refellendis operam ponere nec vacat, nec est animus; rerum mearum satagere contentus, alienis studio pacis supersedeo. Difficultas est itaque invenire unde tanta aquarum vis, quanta in generali Diluvio fuerit, derivari queat. Ut difficultati huic faciant satis, illam ex abysso subterranea derivatum eunt: at inde difficultatis plusculum existit; ut enim de mari modo dictum, quis non videt, quantum in eam rem aquæ expromi inde contigerit, tantundem rei alterius ibidem continuo substituendum? ni forte vacuum & inane admitti placeat, quod rerum natura, ut pueri sciunt, ferre nequit; miraculis autem cuncta emoliri haud sane attinet. Verum expediunt sese hinc aliqui beneficio raritudinis seu rarefactionis, nescio cujus, quam in eam rem excogitant ponuntque in aquis, qua maris, qua subterraneæ abyssi, unde fieri volunt, ut sic facile intumescentes atque augescentes aquæ, plus spatii multo quàm antea occupare incipiant: nihilo sane aliter ac

fieri videmus in ferventi cacabo, ubi aqua quæ vix, dum frigida est, dimidium aut aliquanto etiam minus obtinet, post modo ebulliens vix, neque vix toto contineri potest. Ad eundem modum Diluvii tempore effectum ajunt, ut aquæ, qua maris, qua subterraneæ abyssi ob densitatem locis angustioribus contineri solitæ, tunc quidem rarescentes longe majus spatium occupare cœperint, atque adeo in immensum quodãmodo visæ sint excrescere.

Verùm ut quoniam philosophari eos nunc delectat, nos quoque promptis è philosophia rationibus cum iis agamus: quænam ea demum raritudo rarefactiove fuerit, quidve per eam effectum sit, paucis exsequamur. Certe quidem rarefieri posse aquam & rarefactionis hujuscemodi interventu posse loci aliquanto plus quàm solita sit suapte natura, occupare, experimentis & usu, absque philosophia foret, notius est quàm ut in dubium vocari à quoquam possit. Jam vero id quoque in re præsenti locum habuisse, & ab aliquibus affirmari scio, & ægre faxo ipse ut negandum censeam; quamvis, si negavero, non desit negati ratio: ut namque id modo obiter dixerim, si causa hujusce rarefactionis hic quæritur,

tur, proclive admodum non est, ut inveniri, quæ quidem satis sit, valeat. Aquam plerumque vi caloris, aut aliqua persimili rarescere compertum quidem experientia; at in Diluvio nihil appâret unde is calor rarefactioni tantæ par existere potuerit. Sunt qui per hyemem Diluvium accidisse velint, sunt qui vere primo, aut appetente factum dicant, neutri certe ex utroque hoc tempore habent quo calorem rarefactioni huic sufficientem expromant: quin & contra facere videtur textus facer initio cap. 7. ubi pro causa naturali cessationis Diluvii adducitur spiritus quidam, quem ventum urentem, Causona, optimi quique Tractatores interpretantur. Sunt & qui putent de ipso Sole accipiendam, è quibus est Rupert. eo loci, lib. 4. cap. 22. Quem (inquit) Moses spiritum appellat juxta literam, aut calidum ventum, aut etiam ipsum Solem, qui hactenus sub densis nubibus latuerat, intelligimus. Dixit enim de illo Ecclesiastes; *Lustrans universa per circuitum pergit spiritus, & in circulos suos pervertitur.* Ita ille. Cui videtur non discordare Hieronymus in commentario ejusdem loci, dum de ipso Sole id interpretatur, affirmans eum appellari spiritum, vel quod

Non est passim & promiscuè ad miracula suffugiendum.

quod ſpiritu ipſe vivifico animetur ac vigeat, ut Poëtis, atque adeo Philoſophorum aliquibus placet; vel quia vitalem vim & motum rebus inſpirare creditur. Ut ut ſit, cauſam ceſſationis Diluvii calorem eſſe conſtat, unde neceſſario conſequi palam eſt, ejuſdem inceptionis cauſam minime calori eidem aſcribendam videri: quare cum aliud non occurrat unde videatur peti poſſe illa aquarum rarefactio, quæ in Diluvio accedit, viderint certe illi, quibus alia non ſuppetit ſeſe hac difficultate expediendi via; ad miracula enim continuo, ceu ad ſacram, ut dicitur, anchoram confugere, non eſt niſi eorum quibus deplorata jam ſit ſalus, nec alia reſtet ſpes. Verum ut cum his remiſſius quoque aliquanto agamus, eſto id nunc etiam quod volunt; demus hoc tandem ipſis, quod aliter quàm precario vix umquam impetraverint: facta igitur fuerit, extiteritque ejuſmodi rarefactio aquæ, qua marinæ, qua ſubterraneæ in Diluvio vi quapiam utique occulta minimeque obvia; quid tum? nihil ſane in rem Heterodoxorum: nam, vel hanc vim volunt naturalem eſſe, vel divinam prorſus, atque adeo extraordinariæ, ſupremæque alicujus potentiæ; hoc poſterius nihili eſt, cum

(uti

(uti modo diximus) id demum sit de causa penitus desperare, ad miraculum temere & quoties aliqua occurrit difficultas, recurrere, nec vero ea optimorum Interpretum mens est, apud quos etsi principalis quidem Diluvii causa Deus ipse habeatur, adjuvantes tamen naturales fuisse concluditur, eoque à Mose mentionem fieri fontium abyssi magnæ, cataractarum, id est, nubium, è quibus ceu propriis & naturalibus causis Diluvium oriri contigit: eodem modo dierum quadraginta pluviam continuari oportuit, cur ita? an non absque iis poterat Deus protinus terram submergere, eidemque restituere abysso, unde à primo illam eduxerat? Sane: at causis naturalibus uti potius habuit; quare miraculis hic quidem, quoad ejus fieri potest, supersedendum, dicendumque modo alterum, videlicet naturali quapiam, tametsi occulta vi evenisse, ut qua maris, qua subterraneæ abyssi aquæ in tantum rarefactæ sint, ut facile toti terrarum orbi supra etiam quàm necesse fuit, submergendo suppeditaverint; bene habet, rationibus igitur nunc porro agamus.

Fateri utique convenit aquam rarefactionis vi, sive ebulliendo, sive alia ratione simili, posse ita in majus gliscere

atque intumescere, ut loci aliquanto amplius quàm suę ipsius naturæ relicta, obtinere valeat. Atque ea res est plane in confesso apud omnes, nec quotidiana ejus experientia addubitare sinit, nedum inficias ire. At enimvero ut hoc quidem ita sit, eadem experientia compertum habetur, aquam ita rarescendo intumescere ac gliscere, ut ampliorem certe quidem locum, aliqua tamen cum proportione obtineat, puta, vel dupla, vel sesqui dupla, aut aliquanto ad summum majori; ulterius autem minime videri umquam procedere: sed potius, quasi majorem ferre non queat raritudinem in aliusmodi naturã, seu ignem, seu aërem, quorum maxime propria est raritas, degenerare. Equidem nec vidi ipse umquam, nec quemquam esse puto qui viderit, aliquando unicam aquæ guttam, vel pugillum etiam unum, rarefactionis vi in tantum increscere, ut dolium ingens compleverit: quod si quando accidit, næ id pro singulari miraculo habitum, opinor fuerit! Quare ut de Diluvio jam dicamus, quod aliqui illam molem immensam aquarum, quæ non totum modo terræ orbem undique cinxit, sed montes quoque altissimos cubitis quindecim excessit, nihil aliud fuisse volunt præter easdem ipsas,

Rarefactioni aquarum modus aliquis ponendus, ut non in immensum, sed quadantenus porro excesserint.

qua

qua maris,qua subterraneas,quave alias, quæ tum in rerum natura inerant, aquas, quæ cum antea exiguis finibus ac spatiis continerentur, rarefactionis nescio cujus interventu ad illam usq; molem pervenerint, miraculi certe habet plurimum: ac fidem quo apud me referat, nihil quicquam habet; nam cum jam ex dictis initio hujus disputationis constet, Diluvii aquas decuplo eoque amplius quidquid est aquarum in Oceano exsuperasse, quî potuit fieri ut solius rarefactionis naturalis interventu eo usque excreverint? Profecto fidem hoc omnem exsuperat, proximumque videtur commento illi quod in Apologis Æsopi extat de Râna, quæ dum in bovinam magnitudinem augescere satagit, atque eo fini aquam in sese summa vi ingurgitare approperat, nihil porro inde consecuta est, nisi ut disrupta misere perierit: haud absimile est quod de hoc Diluvii rarefactione ab iis modo allatum vidimus; nempe ut scite appositeque dici queat, elementum aquæ dum ad totius universi magnitudinem perglliscere omni ope enititur, quod bonis artibus viaque honesta & licita assequi minime poterat, per vim intumescendo, atque (ut ipsi prædicant) rarescendo, melius forte dixerim

rim ipse, ingurgitando, in tantum, non tam veræ ac solidę magnitudinis, quàm tumoris & exsuperantię cujusdam processisse, ut disrumpi quidem ipsum, terramque inde una vastari, atque adeo partem universi longe maximam perire ad extremum necesse fuerit. Apage igitur rarefactionem hujusmodi tantam, ut natura ne ferendo quidem sit. Rarefactionem aliquam nos certe quidem hic admittendam ducimus, beneficio cujus quicquid aquarum in Diluvio fuit, plus multo sane loci occupaverit, quam alias usu veniat: at tanto excessu id factum quanto ipsi volunt, id verò est quod probare nequaqum possumus, vel etiam debemus.

Sed demus hoc etiam ad extremum, id fieri pôtuisse, imò & factum esse prout volunt, ut videlicet in tantum aquæ omnes rarefactæ fuerint, suppeditare ut valuerint immensæ illi aquarum moli, quanta fuit opus ad obtegendum orbem terrarum universnm, & exsuperandũ cubitis quindecim montes altissimos. Fuerit hoc sane mirabile & prodigii plenum; at ad Diluvii rationes parum conducens, si quidem aqua ejusmodi in tantam adducta raritudinem, minime aptam fuisse suffocandis & extinguendis animantibus

atque

atque hominibus palam est; utpote pertenuem, perque raram, quod miror ab eis minime animadversum. Doceo itaque, quod ipsa docet experientia, aquam eo raritatis perduci posse, non miraculo solum, sed naturaliter, ut vitæ animalium, nihil aut parum incommodet; nimirum ratione & usu compertum est vaporibus (qui aqua sunt rara ac tenuis) plenum esse aërem; adeò autem hoc vitæ animalium non officit, ut potius si absque eo esset, ægre vita trahi ab eis possit: in puro aëre animalia posse vivere negant plerique ex Aristotele lib. 2. de ortu & interitu cap. 8. & lib. de sensu & sensili cap. 5. Galeno lib. 4. de usu partium cap. 5. Augustino lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 15. & lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 3. Aër purus occidit, qua de causa montes altissimos ascendentes Philosophi spongias aquis intinctas ante nares secum portabant, ut per hoc grossior esset aër, ait Albert. M. de propriet. Elem. lib. 1. tract. 1. cap. 2. Et vero videmus volucres non volare per sublimem aerem qui purus ac serenus est, sed per hunc turbidum & crassum terræ proximum, qui excipit omnes vapores terræ & maris, ita ut aquæ affinis sit. Unde disces, aquam ut potis est maxime rarefactā, adeo

Data rarefactione aquarum quanta potest maxima fit, & jam aquæ non sint suffocandis animantibus, nedum sustinendo arcæ oneri.

adeo animalium ſuſtentationi & vitæ non incommodare, ut etiam prodeſſe noſcatur. Quare ſi tantopere in Diluvio rarefieri contigerit, non video quinam præfocandis animantibus par eſſe potuerit. Videmus porro non raro obductum aerem nebulis craſſiſque admodum vaporibus, tam denſis interdum, tamque conſtipatis, ut Solis luci obſtruant & nocturnam caliginē quodammodo plena die repræſentent: at neminem inde præfocari ac emori compertum eſt. Sunt qui palpabiles illas horribileſque Ægypti tenebras, de quibus Exodi decimo eſt mentio, nihil aliud eſſe velint præter confertos vapores, craſſos & caliginoſos, quibus aer non ſolum obnubebatur, ſed in aquæ ſoliditatem concretus palpari poterat: illo tamen neminem præfocatum vel enectum ſcimus, ſed tantùm terrorem incuſſum eſſe ac ſtuporem, ut loco ſe non moverent, ac velut carcere clauſi & vinculis tenebrarum compediti, ut Sapiens cap. 17. loquitur, tenerentur. Quare in aqua rariore, & in vaporum formam reſoluta, hominum atque animantum vitam perſtare conſtat, ut nullum aut certe perexiguum ex aquarum rarefactione ad Diluvii efficientiam operæ pretium exiſtat. Adde quod Fromon-

mondo cit. ante loco animadversum aquæ rarefactionem tantam esse nequaquam potuisse, ut sustinendo arcæ onus non fuerit. Vidêre id utique alii, quorum nonnullis potius visum, aquarum hanc vim immensam sumptum ire ex ipso aere, quem in aquam tum quidem conversum affirmant, quibuscum deinceps res nobis futura est, ut eorum rationes expendamus.

Equidem video permagnam ac propemodum infinitam esse aeris regionem, seu inane illud, ut loquuntur Platonici, ab usque imo æthere seu Cœlo Lunæ, ad terræ solum; atque inibi longe maximam vim aeris inesse fateor. Verùm quia non nisi infimam ipsius regionem aquis occupari tunc contingit, vel certe ad summum, mediam, suprema facile omnium latissima, amplissimaque haud dubie absque mutatione aliqua permanserit, nihilque adeo ex seipsa Diluvii augmento contulerit. Et vero ut daretur etiam contulisse, eodem porro illius ac marium & abyssi ratio fuerit, ut nempe: quantum ex ea detractum iri contigerit, tantundem sufficii aliunde oporteat, ne vacuum, à quo natura tantopere abhorret, in eam admitti necesse sit. Tertia igitur superest atque infima aeris regio, vel

certe ad summum, si ita videtur, media, de quibus ambigi possit aquisne Diluvii tantis tamque immanibus suppeditaverint. Cæterum difficultati huic exsolvendæ appositum videtur, quod ex Aristotele docent Physici, cum ex aere fit aqua, propter illius raritatem atque hujus densitatem, plus materiæ decuplo accipiendum: ita ut ad pugillum aquæ efficiendum, pugillus decem aeris minimùm opus sit: unde datur facile intelligi in re nostra, etiamsi totam forte aeris regionem infimam, atque adeo mediam, in aquam verti dederis, non potuisse tamen sufficere. Res omnino notior est & contritior in Philosophia quàm ut plura his adjicere hic attineat: pro nota utique ac certa habuit, opinor, non indiligens scriptor Steuchus cognomento Eugubinus, initio Cosmop. ubi cum in hanc porro quæstionem incidisset, nec videret sub Cœlis uspiam unde tantam vim aquarum, quantam Diluvium Universale postulat, expromeret, venit illi demum in mentem, aquas supercœlestes accersere; *Quoniam*, inquit, *nec quadraginta annorum imbres, nedum quadraginta dierum, nec quicquid rerum est infra Cœlos, si in aquam verti contigisset, satis fuisset.* Sed quid ego Eugubinum hic nomino?

no? eadem Bedæ fuit lib. de nat. rerum opinio; fuit & Hugonis Vict. in cap. 2. Gen. quibus subscripsere præter laudatum modo Eugubinum, Strabus, Oleaster, Agellius, & quidam solennis Doctor apud Abulensem super cap. 7. Gen. Dixere igitur hi omnes, aliique complures, aquas existere supra Cœlum etiam sidereum, quæ Diluvio inservierint. Sed quam id absurdum sit & paradoxon, nemo non videt: nam, ut daremus aquas hujusmodi existere, (quod semper duximus improbabile) quis non videat ex hujusmodi aquarum in terras descensu, non pauca sequi incredibilia? ut, quod ajunt, disruptos esse Cœlos, fractasque eorum compages, qua ejusmodi aquis pateret exitus ad descensum, & rursus Cœlorũ meatus illos fuisse occlusos. Ad hæc quia (ut recte notat Chrysostomus) haud satis compertum manet quonam demum abierit tanta aquarum copia, quidve à Deo factum sit ad replendum super Cœlestis illius loci capacitatem aquis inde amotis; dicere enim tempore Diluvii vacuum ibi fuisse, ac tum post Diluvii tempus eo aquas esse reversas, juxta illud scilicet; *Reversæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes,* somniantis est ac minus sani. Mitto alia

Hoc à me alias plane ex professo discussum fuit, ut nunc perstrinxisse sufficiat.

alia id genus absona quæ alius loci sunt & instituti; nihil quippe in præsens agitur nisi ut palam fiat, quàm non proclive visum sit Scriptoribus, cætera doctis & ingeniosis, illam vim immensam aquarum, quam in Diluvio undecumque Vniversali fuisse oportuit, assertum ire. Ut nihil porro in eam rem promptius habuerint, quàm aquilicia facere, hoc est, ut ex Tertulliani Apologet. patet; *Jovem ipsum è Cælo elicere.* Nimirum Chrysostomo jam vidimus haud satis liquere, quonam demum abierit tanta aquarum copia; & nos interea quasi majorum tribunalium judices nihil addubitabimus. Equidem mihi semper res hæc visa est ejusmodi in quam proprie competat quod de Delio natatore fertur; sicubi enim natatore optimo opus visum est aliquando, nusquam, opinor, magis quam in hac vi aquarum tantâ tuto ac feliciter enatanda.

PARS III. Non est, fateor, convellendum temerè, quod jam in vulgus pridem receptum fuit: quippe ubi hoc fit, periculum est ne omnia pervertat innovandi libido: attamen ita standum receptis opinionibus videtur, ut non puerorum in morem quæcunque dicuntur promiscue, sed cum aliquo, ut viros decet,

decet, judicio approbemus. Rusticos videmus messe peracta, priusquam sese ad colligendas fruges dent, grana excutere in areis, atque adeo ventilare solitos, ut quisquiliis difflante vento in aerem dispersis, residuum fiat in vanno triticum. Simili operâ & nos contritas opiniones discutere modo ac ventilare par est, quo neglectis quæ non nisi speciem veri & fucum habent, sola maneat & quidem pura ac puta veritas: fallit non raro illa quæ in pervulgatis receptisque opinionibus apparet veri species, estque periculum ne nobis subinde imponat ipsa quæ pro eis facit autoritas. Uti enim plerumque in vulgus accidere videmus, nonnullas ædium sacrarum rudes, attritas, ac vetustate propemodum corruptas impensius & religiosius coli, quàm quæ magnifico sunt opere & eleganti: sic in opinionibus quoque evenit, eas sæpenumero religiosius impensiusque observari quę plus præ se ferunt vetustatis, licet minus forte habeant veritatis. Quare Antiquitatis autoritatem malum non raro esse præjudicium, rite monet Plato in Theæteto. At veritati cumprimis nos insistimus, & cujuscumque ætatis sit ac formæ eam amplectimur; nec temeritatis continuo arguendum putamus,

Veritas filia est temporis; suo inde exoritur proditque in lucem.

tralatitiis opinionibus atque olim pro communibus habitis non acquiescere, vel dissentire. Quamquam in re præsenti nihil equidem ipse affirmo, & ex suspicione omnia exsequor, certus nihil quàm conjectorem hic agere, prout egi hactenus. Agedum ergo, adoriamur nunc quicquid est autoritatis quod causæ huic obtenditur, & quantum porro in ea momenti sit, sedulo pensemus.

Ac primùm Scripturæ autoritas, quam supremam hic & ubique habendam esse inter nos convenit, cujusmodi hac quidem in re sit videamus. Equidem huic causæ præjudicatum jam scio, cunctis Scripturæ Tractatoribus in id promiscue conspirantibus, ut verba sacri textus de Universali Diluvio accipienda censeant, nec quisquam est qui contra profiteri aperte ac palam audeat. Verùm (ut præfiscini, id quidem dixerim) mihi ipsa hæc verba paulo acrius dispicienti, nulla dum omnino reperta, perspectave ratio est, cur asserere cogamur, toto terrarum orbe Diluvium fuisse grassatum. Ac primò quidem de hominibus, quod pro certo habetur, neminem præter eos qui in arca cum Noëmo fuere, id est, ut à Petro dicitur, *non nisi octo animas*, evasisse; non sine aliqua modificatione debet

in-

intelligi; certo enim constat, excipiendum esse Enochum, quem scimus alicubi terrarum fuisse reservatum, ubi etiamnum ad obsistendum Antichristo una cum Elia adversari credimus. Quare quod de hominum universalitate Scriptura refert, ita interpretari convenit, ut exceptio aliqua intercedat. De animantibus jam longe minus difficultatis esse videtur, de quarum universitate non ita palam affirmate Scriptura pronunciat; adeo ut si quem forte juvet negare omnia omnino Diluvii aquis periisse, non sit quamobrem ei protinus succenseri oporteat: quin videri is potest habere porro eorum admirationi & curiositati quo satisfaciat, qui quanam ratione à Diluvii temporibus quædam animalia, ut leones, ursi, tigres, aliaque id genus, in procul remotas, ingentibusque adeo marium atque Oceani spatiis disclusas orbis partes, Americam puta, novamque Guineam, in quibus hujuscemodi visuntur animalia, deportari contigerit, haud satis intelligunt: maxime cum in illis etiam partibus aliqua extent, quæ alibi terrarum nuspiam reperire sit. Videsis Augustin. lib. 16. de civit. cap. 7. Imò & illis pariter inde gratificabitur, quibus, ut arca fuerit capax tot animalium ex

Consule Tornelii annal. 1. oct. die 3. num. 26.

orbis parte confluentium, vereri subit; non parum quippe ex illa colluvione ac congerie animalium detrahitur, si dixeris, non nisi unius cujusdam partis terræ eo concessisse. Ad Scripturæ autem verba quod attinet, in quibus mentio fit cunctorum animalium universæ terræ; haud difficulter ex iis quæ postmodo dicturi sumus, respondere promptum est. Abulensis sane in caput 13. Gen. quæst. 113. fatetur, non fuisse inclusa sub generalitate Diluvii animalia quæ erant in Paradiso, sed solum quæ erant foris super terram: nam sicut homo qui ibi erat non mortuus est, neque inclusus fuit sub illa generalitate omnium hominum morientium, ita & animalia, quæ ibi essent, non includerentur sub clausula generali omnium animalium; ita ille quidem; qui post quæstione 118. quomodo signum universale, (*omnis*) modificari debeat, docet. Verùm quoniam nihil admodum est incommodi de animantibus quoque id fateri, cuncta Diluvio absumpta periisse, & Scripturæ verba favere nonnihil videntur, demus hoc porro animi gratia, vel certe in medio, si placet, nunc quidem relinquamus; utrum ergo videbitur cuique verius, eo utatur, nihil nostrâ admodum interest, quibus

id

id dumtaxat propositum modo est ad docendum, præcise ex Scripturæ verbis, totusne terrarum orbis usquequaque Diluvii à aquis cinctus absorptusve fuerit, non satis liquere; id autem sic facile doceo. Verba Scripturæ quibus Diluvii Universalitas confieri creditur, sunt (prout jam vidimus) hæc ex cap. 8. *Aquæ enim erant super Universam Terram*; atque ex cap. 7. *Opertique sunt omnes montes excelsi sub Universo Cœlo*; nec non & ubi de animantibus in arcam admittendis agitur, quod infertur ætiologicon; *ut salvetur semen super faciem Universæ Terræ*: hæc, opinor, vel sola, vel potissima videntur, quibus adducti fuerint Patres aliique, ad Universalitatem Diluvii affirmandam. Verùm verba hæc præcise, qua ex sua ipsorum propria notione, qua ex Scripturæ usu, illud nequaquam evincere, in promptu est testimoniis compluribus demonstrare. Recita dum igitur nobis testimonia ex Scriptura imprimis, ac dein etiam ex prophanis Scriptoribus, prout modo in hanc rem occurrent: & vero indidem ex hoc ipso opere auspicemur. Genesis ergo cap. 2. de quodam fonte dicitur, rigasse universam superficiem terræ: *Fons ascendebat de terra* (inquit Moses) *ir-*

Idiotismus est communis Gentium ferme omnium, ut cum de tota quapiam regione agunt, significantur universalibus.

rigans universam superficiem terræ; ubi quisnam porro hic tantus fons fuerit universæ superficiei terræ rigandæ par, mirantur vulgo Interpretes, nec facile hac difficultate omnes se expediunt, ut de illis merito dici id queat:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Quosdam conciliare studet Albinus, sive Alcuinus in illo brevi suo in hunc librum commentario interpolatæ expositionis è Patrum sententiis, terram hanc quam Moses dicit irrigatam esse uno fonte, non omnem terrarum orbem, (ut vox sonat) sed terram dumtaxat Paradisi interpretatur, quam paulo post Moses ait irrigatam fluvii unius, qui sub Paradisum in quatuor capita diducebatur, alluvione. Atque eandem Augustini quoque interpretationem esse convenit: quippe qui lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 9. & 10. non nisi unum initio mundi fontem fuisse ait, quo statis temporibus exundante, terra omnis, ut Nilo Ægyptus, rigaretur; quî enim fieri potest, ut unico fonte totus terrarum ambitus proprie acceptus valeat irrigari? haud dubie synecdochicos hoc dictum voluit: *Fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ.* Similis sententia

tia est Glossæ interlinearis. Alterum extat testimonium cap.41. lib.ejusdem, ubi cum de illa Ægypti fame, quam Josephus Pharaoni prædixit, sermo est, tantam fore eam dicitur, ut consumptura sit omnem terram : nec dicas Ægyptum totam intelligi; latius enim grassatam esse constat, ex subsequente cap. 42. nec non ex 43. cujus initio de eadem fame totidem verbis infertur: *Interim fames omnem terrã vehementer premebat* : agitur enim illic de Palestina:ergo non sola Ægyptus terræ omnis appellatione venit hoc loco : terram autem omnino omnem quàm latè patet usquequaque hac fame oppressam, nec credibile est, nec quisquam Tractatorum docet : per synecdochen ergo explicandum. Suppetunt & alia huic rei firmandæ testimonia, cum apud Mosem, tum alibi Scripturæ veteris, quæ possem hic proferre; quale est illud ejusdem cap. 41. modo cit. *Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum ut emerent escas.* Certum est tamen (inquit Abulens. cit. q. 118.) quod non veniebant homines de toto mundo in Ægyptum ad escas emendas, cum & aliquæ gentes sint in mundo quæ nesciunt an Ægyptus sit, & aliæ ad quos cibi ex Ægypto non possent ferri; & si

omnes provinciæ venirent in Ægyptum, non sufficeret Ægyptus pro toto mundo fortè pro una hebdomada ad cibos. 1. Reg. 13. *Ecce illi discumbebant supra faciem universæ terræ comedentes, &c.* Daniel. 2. Nabuchonodosori dicitur: *Tu Rex Regum es, & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & Imperium dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & sub ditione tua universa constituit*: quæ per synecdochen omnia interpretatur Pererius, vel per Hyperbolen; vide ejus commentar. lib. 2. Atque è veteri instrumento hactenus: piget enim cuncta referre, nec admodum attinet. Venio itaque ad novum, ubi unum extat plane luculentum atque auro (ut dicitur) contra carum, quod minime omitti placet: Luc. nimirum cap. 2. sic habet, *exiit Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis*: in quo synecdochen inesse, qua major pars pro toto accipitur, omnes monent, & res manifesta est, inquit Maldonatus; nec etiam totus orbis Romani Imperatoris jussu describi poterat, cum totus ejus non pareret imperio: teste Suetonio, Augustus Gotthis, Armenis, & Indis non imperabat. Per universum igitur orbem hoc loco, ea orbis pars quæ Romanis

manis erat obnoxia, accipitur, eaque defcribi jubetur, cujus magnitudo ut declaretur hyperbolicôs orbis univerfus dicitur. Quo fere modo apud prophanos habetur.

Orbem jam totum victor Romanus habebat, Petr. Arb. Satyric.
Qua mare, qua terræ, qua fidus currit utrumque. Et illud;
Gentibus est aliis tellus data limite certo, Ovid.
Romanæ fpatium est urbis, & orbis idem.

Romanos orbis dominos (ait Appianus) Imperii terminos Orientem Occidentemque fibj feciffe: & Dionyf. Hallicarn. atque ex eo Veget. Solem utrumque in eorum imperio currere. *In Præm. lib. bell. civil. lib. 1. hist. lib. 1. de re milit.* Hinc Rutil. Ethicus, Senatum populumque Romanum vocat totius mundi dominos, domitores orbis, & præfules, Itiner. lib. 2. quæ omnia affentatoric per Hyperbolen & fynecdochicôs dicta, ne ipfi quidem quibus ita affentari libuit, negaverint: Cum palam fit ac nemini, vel mediocriter tincto literis, non compertum, permultas fuiffe nationes atque orbis partes minime Romanis fubjectas: Scythia eorum audivit arma, non fenfit: itemque Armenia, (ut ex Suetonio diximus): Affy-

riaque, & quicquid est extra Euphratem; quin ne ipsorum quidem nomen America, aliæve complures provinciæ & gentes barbaræ audiverant: fuerunt & liberi semper populi, civitates liberæ, Reges amici aut fœderati Romanorum; denique universum orbem ipsis nequaquam paruisse in confesso est. Describi ergo & censeri jussu Imperatoris Romani minime potuit. Quare hoc loco per universum orbem Augusti edicto describi jussum, aliud nihil intelligendum venit, quam universa Romanorum ditio, sive universus orbis Romanus. Quin & aliquos esse ait Maldonatus qui existiment, ne totum quidem Romanorum orbem seu imperium fuisse descriptum, sed solam tantummodo Syriam, in qua tum Judæa censebatur. Sed de hoc quidem testimonio hactenus. Alterum profero huic persimile cum ex ejusdem Lucæ 23. tum Marci 15. & Matthæi 27. ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; hi ergo tres Evangelistæ cum de Solis Eclipsi, quæ sub Christi mortem accidit, meminere, illam universalem fuisse ajunt: *Et Tenebræ* (inquit Lucas) *factæ sunt in universam terram.* Matthæus quoque totidem verbis: *Tenebræ factæ sunt super uni-*

universam terram. Marcus verò, *Tenebræ factæ sunt per totam terram.* En verba plana, queis hujus Eclipsis universalitas confieri videtur: & verò inde factum, ut non modo in vulgus ita creditum sit, sed è Tractatoribus plerique omnes, imò complures ex SS. PP. eo demum opinionis pertracti sint. Verùm, ut præclare Maldonatus admonet (qui Origenis autoritate fretus non est veritus cornicum, ut dicitur, oculos cofigere) neque res ita habuit, neque verba hæc id ferunt: namque postquam eorum qui toto terrarum orbe tenebras ejusmodi fusas fuisse putant, sententiam retulit, sic infert; *magis tamen Origenis probo ipse sententiam, qui super solam Judæam factas existimat: & quia propter solos Judæos eosque ubi Evangelium Christus prædicaverat, factæ sunt, ut ejus divinitas (ut paulo ante diximus) doctrinaque confirmaretur: & quia verosimile non est neminem ex tam multis Græcorum & Latinorum Historicis rem tam mirabilem, tam universalem memoriæ proditurum fuisse, si toto terrarum orbe facta agnitaque fuisset.* Atque iterum paulo post; *quo ergo modo tres Evangelistæ super universam terram tenebras illas factas fuisse dicunt? Recte Origenes respondet, universalem illam* *Tr. in Matth. 35.*

particulam, Universam, *aut Totam, accommodate ad locum de quo agebatur intelligendam esse; gerebatur res in Judæa, super universam ergo terram, id est, super universam Judæam tenebræ factæ sunt; sicut Abdias servus Regis Achab qui ad quærendum Eliam missus erat, invento dicit*; vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut Regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens. 3. Reg. 18. *Cum dubium non sit Achab, non ad omnia Regna, sed in omnes regni sui partes nuntios misisse : Lucas autem ait*; factum est autem in diebus illis, exiit Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis : *non enim totus omnino orbis, cujus Dominus non erat, sed illæ orbis partes quibus imperium Romanum terminabatur, à Cæsare descriptæ sunt. Putat etiam Origenes in hujusmodi locutionibus aliquid Hyperboles esse, quemadmodum cum vulgo dicimus, per totum mundum quæsivi te; ut nihil aliud Evangelistæ dicere voluerint, cum tenebras per universam terram factas fuisse dixerunt, quàm tenebras longe lateque fuisse factas.* Hactenus ex Maldonato. Sunt & alia insuper, ut quod Actorum 2. habetur, *fuisse Jerosolymis habitantes Judæos ex omni natione quæ sub Cælo est* : ubi Hyperbolen una cum Lori-

Lorino agnoscunt omnes. Iterumque eorumdem Actorum 11. dicitur: *Surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.* Martinus Cantapras. lib. 6. Hypotypos cap. 3. solam intelligi vult Judæam; summum per universum orbem terrarum, orbem Romanum par est intelligi. Similiter quod ab Apostolo dicitur Rom. 1. *Primùm quidem autem gratias ago Deo meo per J. C. pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur universo mundo.* Mitto alia, quæ apud Tractatores passim extant. Vide Leonard. Marium in caput 41. Gen. Pererium item in Gen. lib. 12. disp. 9. Rutil. Benzon. in Psal. 86. pag. 181. Canisium lib. 1. de Deipara virg. cap. 6. Bonfrer. in caput 3. Judic. versu 11. Bellarminum de gratia primi hominis cap. 14. Atque hic demum valet Jure-Consult. illud, quo sanciunt, numquam in jure tam universalem esse propositionem, quæ universaliter omnino intelligatur, quin accipiat restrictionem alicunde: adi Lexicon Juris verbo *quicumque*. Quæ cum ita sint, quid prohibet quo minus & nos tot tantarumque autoritatum præsidio fulti, consimiles quæ in nostro textu habentur locutio-

nes

Restrictionis & modificationis fere est usus ubicunque propositio extat universalis, ut cum aliqua exceptione sit accipienda.

nes interpretari ad eundem modum possimus; puta cum dicitur; *aquæ erant super universam terram* : prout modo vidimus à Maldonato, ex Origine exponi quod in Evangelio fertur de universi orbis descriptione. Pari modo cum dicitur. *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo* : prout exponitur quod Actorum 2. dictum fuit de omni natione quæ sub Cœlo est. Certe illud de montibus, jam antea ex Cajetano vidimus, de omnibus minime accipi posse, Olympum excipiunt aliqui, Caucasum, Atlantem, & alios alii: ut nostra interpretatio neutiquam singularis habenda sit. Bellarmini hæc sunt libro jam citato. *Credibile est in Paradisum aquas Diluvii minime penetrasse, ut scholastici Theologi docent. Ad illum autem Scripturæ locum ubi dicuntur aquæ cooperuisse omnes montes sub universo Cælo; Respondemus, id esse intelligendum de omnibus montibus illius terræ quæ à peccatoribus incolebatur, quæque habitationi hominum post lapsum Adæ data erat:* Sic ille ibi: quæ quidem, uti & sequentia, mirifice pro nobis faciunt. Ex Abulensi mons Paradisi excipitur, cit. q. 118. simili ad extremum modo quod in nostro textu fertur de introducendis in arcam ex omni ani-

animantum genere binis vel septenis, ut salvetur semen super faciem universæ terræ; instar illius ducendum quod de quodam fonte jam retulimus, qui terræ universam superficiem irrigare traditur: quamquam de ipsis animantibus, fueritne eorum quidem respectu Diluvium Universale, relinquendum in medio censui. Nolim porro cuiquam hic excidat quod jam non semel observare contigit, nuspiam Scripturæ plus locutionum Hyperbolicarum existere quam in hac historiæ Diluvii narratione; nimirum Hyperbolis plena hic sunt omnia: an non Hyperbole videtur, quod cap. 6. extat, ubi Deus Diluvii minas intentans adducitur? post multa namque figurate & præter vulgarem usum dicta, hæc infert, *universa quæ in terra sunt consumentur*: quasi vero multa non evaserint, ut arbores, non prægrandes modo illæ ac præduræ, quercus, cedri, aliæq; id genus, sed etiam teneriusculæ ut olivæ, è quarum una scimus decerptam frondem post Diluvium à columba ad Noë deportatam: cum ergo dicitur universa quæ in terra sunt consumentur, hyperbole est, qua divinæ indignationis summa vis exprimitur. Ejusdem modi habendum quod totidem verbis effer-

Rupert. in Gen. lib. 4. cap. 20. ex Chrysostomo. Cataractæ Cœli apertæ sunt, accipiendum est, inquit, per hyperbolem, &c.

effertur hoc eodem capite: *Et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ:* Hyperbolem pariter in eo quod postmodo subditur de ruptis fontibus abyssi & cataractis Cœli apertis, inesse agnoscique à Tractatoribus plerisque jam vidimus. Denique Historiam hanc totam Hyperbolis scatere vident facile quicumq; aliquid vident. Quare proximum est ut nos latere hic quoque Hyperbolas suspicemur: sicque exponamus dictum à Mose Hyperbolicôs, aquas fuisse super universam terram, opertosque omnes montes excelsos sub universo Cœlo, ad indicandam Diluvii hujus magnitudinem; de quo certe fateri convenit, multis partibus quicquid Diluviorum aliquando fuit excessisse: illudque adeo celeberrimum quod sub Deucalione in Thessalia septingentis fere & septuaginta annis post accidit; nec non & alterum paulo antiquius, puta ducentis triginta annis, quod in Attica sub Ogyge fieri contigit; hoc namque oræ unius exiguæ, illud provinciæ haud multo sane majoris fuit; at Noëticum, quo de agimus modo, Diluvium partem mundi longe maximam obtinuit. Quantam enimvero (inquit aliquis) quamnamve partem? hoc quippe avemus ex te etiam discere.

Equi-

Equidem video me in dubio versari: attamen quoniam conjecturis agere jam cœpimus, pergamus dum porro, & ubi nos expressa Scripturæ verba destituunt, sententiam conjectando assequi studeamus; valeatque hoc etiam loco Euripideum illud: PARS IV.

Qui bene conjecerit, vatem hunc perhibeto optimum.

Igitur ad mundi partem, quæ Diluvio hoc Noëtico submersa est, quod quidem attinet, ut quænam ea quantave fuerit palam fiat, sic statuo. Licet definiri certo non queat, quota præcise vel quænam terræ pars operta sit Diluvio: videri tamen Asiam fuisse, vel totam, vel maxima ex parte. Huic meæ opinioni, seu conjecturæ argumenta aliquot proferre subit: tu ea, mi Lector, eodem quo à me proferuntur animo, accipe. Nemo est, nisi prorsus ageographos, qui nesciat unam è quatuor præcipuis mundi partibus Asiam esse, quam Cosmographi majorem, ut à minore altera hujus majoris parte, Natolia hodie dicta, distinguant, appellare solent: In hac ergo majore Asia, ubi Paradisum terrestrem propter Tigrin & Euphratem, qua parte Mesopotamia est, collocandum ducimus, Noëmum egisse una cum familia, inter omnes

Scripturæ interpretes, aliosque, quos equidem viderim, facile convenit: nec sane immerito, cum Scriptura id satis innuat, apud quam in tota serie rerum gestarum ante Diluvium, nulla extat nisi Edenis mentio, ad cujus Orientalem plagam Caïm cum liberis habitasse dicitur, cap. 4. Gen. Edenicam autem hanc plagam eadem Scriptura Isaiæ 37. & Ezechielis 7. ac 20. ponit non procul à Charan, seu Carris, Parthorum urbe, Crassiana clade famosa. Arcam itidem substitisse in montibus Armeniæ Gen. ejusdem cap. 7. refertur. Quæ quidem omnia ad illam mundi partem quæ Asia dicitur, pertinere norunt una mecum omnes, qui res geographicas vel leviter attigere. In Asia igitur Noëmum ejusque familiam egisse pro comperto tenendum; & quidem circa Armeniæ & Mesopotamiæ fines, non procul à Caucaso: unde illud apud Græcos de Prometheo ad Caucasum revincto & vulturem perpetuo visceribus suis exsaturante, quod in Noëmum competere visum est aliquibus: atque à Caïnitis, gigantibusque illis primitus excogitatum, qui Noëmo synchroni cum essent, ejusque zelum ferre haud possent, de ridiculo eum habere cœperunt, Promethei aut

alio

alio simili nomine ipsi Ironicôs notandæ anxitudinis ejus nimiæ causa, imposito; indeque ejusdem Jecore vulturem assidue ali dixere, quod sese plus æquo torqueret, ac veluti cor sibi excederet, assiduam navando compluribus annis operam, tum molitioni arcæ, tum deterrendis revocandisque à flagitioso vivendi genere improbis. Alligatum porro ad Caucasum commenti sunt, quod ad ejus radices, vel certe non procul ab eo arcam fabricaret, uni huic loco & operi jugiter affixus. Nimirum Æschylus in Prometheo ipsum inducit Prometheum gloriantem de multis artibus & rebus à se inventis, in quibus ponit naves, quas vocat currus nautarum: quod ad Noëmum maxime omnium pertinere nemo nescit. Quare promptum sit credere, ut pleraque alia, hoc etiam è sacra fuisse historia sumptum, vel à priscis Noë ipsius posteris ad Græcos usque quasi per manus transmissum, quod ipsi in suas postmodo fabulas transtulerunt. Justin. M. Apol. 1. Homerum scribit ad Paradisi imitationem à Mose descripti, confinxisse Alcinoi hortum. Origenes vero lib. 4. contra Celsum asserit Platonem sua de hortis campisve Elysiis commenta ex Genesi Mosis mutuatum esse.

Nam, ut l. 1. c. 11. ait Lactantius, vera sunt quæ loquuntur Poëtæ, sed obtentu aliquo specieque velata.

esse. Quin & Aristoteles ipse in Metaphys. affirmat majorum sapientiam fabulis esse obvolutam. Quidni igitur mihi nunc fas sit commentum hoc de Prometheo ad Caucasum revincto hic referre in rem nostram, sin minus ut argumentum plane decretorium ac peremptorium; at certe haud omnino improbabile. In re obscura, ut noctu assolet atque in tenebris, cujuscumque lucis, vel lucernæ adeo usus est: In eo adhuc tempore versamur, quod Varro apud Censorinum cap. 21. de die natali, Adilon nominat, id est, incompertum seu obscurum, quod cunctæ res hujus temporis, vel certe magnam partem in obscuro ac veluti ignorantiæ tenebris obsitæ lateant; alterique illi jam sumus proximi, quod idem Mythicon appellandum censuit, quasi fabulis & mythologorum commẽtis obnoxium. Quid igitur mirum, si nos æquum rati, quod sapientum est, servire tempori, ex iis quæ hujus temporis propria sunr, nonnihil expromendum duxerimus. Quamquam haud forte opus fuit, cum ad rem nostram, quæ ex Scriptura protulimus, vel sola satis sint superque, nec quemquam esse puto qui inficias iri ausit. Quare fixum jam maneat quod de Noëmi sede diximus, eam videlicet in

terra Asia fuisse. Hinc porro consequitur, in terra quoque Asia fuisse Diluvium, quod demonstrare institui; cum namque Diluvium ibi fuisse constet ubi Noëmus erat; Noëmum autem in terra Asia fuisse jam compertum sit, sequitur in terra quoq; Asia Diluvium fuisse. Sed minus difficultatis hoc habet: Videamus modo quod longe difficilius videtur, totamne Asiam atque adeo solam Diluvium obtinuerit? ubi cardo est difficultatis. Utque progrediamur ratione & methodo, tenendum est primo ac velut fundamentum quoddam jaciendum totius commentationis, quod ex Scriptura sumitur, nonnisi ob scelera & flagitia hominum divinitus immissum esse Diluvium; ita namque cap. 6. expresse in hæc verba fertur: *Videns autem Deus, quod multa malicia hominum erat in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres Cœli; pœnitet enim me fecisse eos*: nec non & hæc subsequentia: *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate: Cumque vidisset*

Diluvii causa, sola hominum noxa.

Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) Dixit ad Noë, finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra: fac tibi arcam, &c.

Brutæ animantes non nisi hominum ergo sublatæ.

En veram Diluvii causam scelera hominum; hæc sola fuere quibus provocari divinam Nemesim contigit; solis ergo hominibus succenseri à Deo & pœnam decerni oportuit, cætera cum extra noxam essent omnia, nulli demum pœnæ obnoxia haberi jure poterant; quod vero subjecta forte fuerint, id consequenter & ex occasione accidit. Quid multa? non deliquerant animalia, inquit Ambros. de Arca & Noë cap. 10. qua causa subjecta sunt pœnæ, quæ peccandi sensum non habent? ac tum causam in hominem conjicit, cujus velut accessorium quoddam sint animalia; quæ proinde (ut Regula fert Juris) sequi debeant naturam principalis: sublato autem principali tollitur & accessorium, inquit Legislator C. depos. l. 4. propter hominem condita fuere animalia, propter hominem sublata & abolita sunt, non sua ipsorum, sed hominis noxa hæc fuit. Sed quid in his moror, quæ pro certis & confessis habentur? Venio ad id quod inde necef-

ceſſario conſequi facile intelligitur; nempe ſi hominum pœna hæc fuit, non ulterius progreſſam videri quàm ubi erant homines; Quare ſi tum homines extra Aſiæ fines nondum proceſſerant, extra eoſdem fines Diluvium nequaquam proceſſiſſe credendum eſt. Videamus itaque nunc tandem quaſnam Diluvii tempore ſedes, quaſve terræ partes homines tenuerint; ac primum quoniam hac in re plurimum valet autoritas, teſtibus idoneis comprobemus; dehinc ratione & argumentis acturi.

Idoneos Teſtes & quidem omni exceptione majores adducere in promptu eſt, & vero ſane numero haud exiguo: è quibus ut aliquot ſeligam, primi ſeſe quaſi jure ſuo inferunt Hebræorum Magiſtri pro hac re teſtimonium dicere parati. R. Iſaac in Gen. ait: *Primos Patriarchas traduxiſſe ætatem in tractu Damaſceno, hominibus nondum per terræ fines diſperſis.* Ephrem Syrus apud Moſem Barcepha de Paradiſo cap. 14. parte 1. opinatur, *inde ex quo deliquerat Adamus, eque Paradiſo fuerat eliminatus uſque ad Diluvium, mortales omnes manſiſſe in ea terra quæ circa Paradiſum extabat: hanc verò quam nos jam habitamus terram ad id uſque tem-* PARS V.

pus

pus vacuam prorſus hominum fuiſſe deſertamque, illoſque omnes Diluvio obrutos propter vitæ impuritatem periiſſe, uno Noë viro juſto cum tribus liberis atq; conjugibus ſuperſtite, ut reliqui tum fuerint ſoli octo mortales. Cæterum eos poſtmodo ex illa Paradiſi regione in hanc noſtram perveniſſe aliquanto poſt Diluvium; uti Moſes ipſe memorat Gen. 11. ita illi, aliique ex ipſis. Venio propius ad noſtros, è quibus Genebrardi hæc ſunt Chronol. lib. 1. ſub anno mundi 1656. qui fuit annus Diluvii. *Nondum extremas Aſiæ oras ab hominibus fuiſſe occupatas palam eſt; nam,* inquit, *prima hæc ætas traducta eſt in Syria & locis vicinis, id eſt, Ægypto, Arabia, Petræa, Chaldæa, Meſopotamia, Aſſyria, Armenia, & ejuſmodi Aſiæ Mediterraneis. Certe probabilius eſt,* ait Gordonus Chronol. cap. 2. ad period. 1. *Homines eo temporis ſpatio ad extremas Aſiæ atque Africæ partes incolendas non penetraſſe.* His Gerardi mercatoris ſuffragium, tanquam Connæ calculus, addi poſſet; ni exemplo Chriſti dæmonia etiam dum vera dicerent, loqui vetantis, pigeret in re ſacra uti prophanis & improbatæ fidei teſtibus. Abulenſis præſtat tēſtimonium hic adducere ex quæſt. 112. in cap. 13. Gen. in hæc verba:

Ante Diluvium, homines nequaquam toto orbe diſperſerant.

bá: *Non concedimus*, inquit, *quod humanum genus diſperſum eſt ante Diluvium: Primò quia non apparebat aliqua cauſa diſperſionis, ſicut poſtea; Secundò, quia non proderat talis diſperſio, cum poſtea in Diluvio reuniendi eſſent, & fruſtra erat fieri duas diſperſiones, cum una ſufficeret. Tertiò, quia cauſa diſperſionis fuit diverſitas linguæ, cum ſe non intelligerent, & qui non participabant mente & ſermone, non poterant cohabitare: iſta enim ponitur cauſa diſperſionis ſupra* 11. *cap. & tamen ante Diluvium & poſt uſque ad ædificationem turris Babylonis ſemper fuit lingua una, & ſermonum identitas eo capite; ergo non fuit facta diſperſio ante Diluvium. Quartò, quia diſperſio humani generis erat aliquid magnum, cum pertineret ad totum humanum genus: Talia autem omnia accidentia narrat ſacra Scriptura; ſicut narrat Diluvium & diſperſionem poſt Diluvium, ſimiliter diviſionem linguarum: non narrat autem aliquam diviſionem hominum niſi poſt Diluvium; ergo non fuit aliqua prius.* Ita Abulenſis. Cui Eugubin. totidem fere verbis ſuccinit in Coſmop. cap. 9. Gen. Pro colophone, Autoris Catenæ, ſeu Lipomani Veronenſis Epiſcopi, Scriptoris impenſe accurati ac docti teſtimonium proferre

juvat: quo vel uno causam hanc omnem stare posse judico. Recita dum igitur Lipomani seu autoris Catenæ testimonium, quod extat sub initium cap. 10. Gen. in hæc verba: *Quarum* (id est, divinarum, de quibus paulo ante, literarum) *autoritate atque auxilio facile redarguitur Ægyptiorum error, Gentisq; illius pudenda refelluntur mendacia, quæ se decem annorum millia monumentis habere comprehensa jactabat: error quoque Chaldæorum, hoc est, nationis fabulosissimæ, & ad superstitiones proclivissimæ, qui quadringenta, & septuaginta annorum millia suis annalibus relata se habere mentiebantur; mendacium quoque Hermodori Platonici, qui à Zoroastre usque ad bellum Trojanum quinque annorum millia interfuisse scribit; aliarum quoque gentium temeritas quæ sese vetustissimas jactabant, & mendacem numerum temporum in medium afferebant. In Cœlestibus enim hisce literis omnis annorum series describitur, adhibitis ætatibus, quam quisque eorum qui in eo Catalogo censentur à primo homine, vixisset. Dein ut clarissima ac maxime vera omnis horum annorum series esset, ponitur quam quisque hominum primus terrarum partem occuparit, quorum nomina adhuc regiones retineant. Prima*

igitur

igitur humani generis propagatio facta est post Diluvium: nam ante Diluvium sola ea regio hominibus erat frequens, quam tenuerat Adam, prope scilicet Paradisum; à conditione autem mundi ad Diluvium intercessere 1656. anni, licet Græci non recte duo millia ac plus fuisse opinentur. Hoc denique spatio temporis minimum orbis terrarum angulum homines tenebant; atque hoc est quod in hisce literis nulla fit eorum descriptio qui tum per terras diffusi essent; nam neque erant diffusi: post Diluvium autem in omnes terras distributi sunt homines. Hæc ille; queis tria in rem præsentem docet: nempe primam hominum in partes omnes dispersionem post Diluvium factam esse, itemque ad Diluvium usque homines nonnisi minimum orbis terrarum angulum tenuisse, præter propter Paradisum terrestrem, sive locum in quo Adamus egerat; Denique hoc etiam in Scriptura adhiberi. Quod quidem postremum quoniam permagni in rem nostram momenti esse videtur, operæ pretium nunc esse reor paucis exsequi. In Scriptura perspicue tradi post Diluvium factam esse discessionem & dispersionem hominum in varias mundi partes norunt certe quidem omnes, etiam opici, & qui ne li-

Dispersionem hominum in universum orbem non nisi post Diluvium factam refert Script.

teras quidem ipſas norunt: vix namque aliquem eſſe puto, qui, vel legendo, vel fando non exceperit, quod infra cap. 10. atque 11. hac de re extat; ubi dilucide ac ſatis diffuſe exponitur, quo modo ex tribus Noëmi filiis propagationem diviſionemq; gentium in terra fieri contigerit: Clauſula nimirum cap. 10. ſic habet: *Ab his diviſæ ſunt Gentes in terra poſt Diluvium.* Ac mox cap. 11. planiſſime dicitur cauſam diviſionis diſperſioniſq; hujuſcemodi fuiſſe confuſionem linguarum; de hoc utique apud omnes conſtare puto. At vero quod ait Catenæ autor, nullam ante Diluvium fieri in ſacris literis eorum deſcriptionem qui tum per terras diffuſi erant, quod necdum eſſent diffuſi, id nimirum eſt quod non cuivis forte ita obvium fuerit, ut interpretatione aliqua non egeat: hanc itaque interpretationem nos demum hic apponemus.

PARS VI. Permulta perque magna ſunt argumenta quibus effici videtur, ante Diluvium neutiquam toto terrarum orbe diffuſum fuiſſe hominum genus: Cujuſmodi eſt quod prodidere áliqui de navigandi uſu, quem nondum extitiſſe ajunt.

Nondum cæſa ſuis peregrinum ut viſeret orbem

Mon-

Montibus in liquidas pinus descenderat undas,
Nullaque mortales præter sua litora norant.

canit Ovid. Metam. lib. 1. de aurea, id est, prima hominum ætate. Quidam negant (inquit Gordonus Chronol. Tom. 1. quæst. cap. 4.) aureo sæculo mare fuisse trajectum: aitque Noëmi posteros duce Japhet ad insulas Occidentis penetrasse, citatque illud Poëtæ:

Audax Japeti genus: Horat. l. 1. Od. 3.

Quàm apposite, tu apud eum videbis; Ante Diluvium naves fuisse haud constare ait Majolus colloq. 23. canicular. refertque ex Plinio, lib. 7. cap. 56. nave primum in Græciam ex Ægypto Danaum advenisse; ejusque sententiam fuisse affirmat, navigia longe post Universale Diluvium fuisse inventa. *Navigandi & condendarum navium usum* (inquit Polydorus, lib. 3. de rer. invent. cap. 15.) *primum à Noë, ante quem, quod memoriæ proditum sit, nemo mare tentaverat, fluxisse credere convenit.* Ita ille ex Josepho & Beroso.

Nimirum primam in hunc usum fabricam doceri homines à Deo par fuit, unde totum hoc navigandi naviumque inventū quidam Minervæ attribuunt, inter quos est & Tertullianus de Co-

rona militis, cap. 8. Minervam quippe pro Dei Sapientia apud Veteres illos habitam scimus; Divinæ autem Sapientiæ opificium quoddam fuisse Noëmi arcam, ex Scriptura clarum est. Primum itaque navigii genus, aut quod navigii instar habendum sit, Noë arcam fuisse par est credere. Atque hinc porro ortum suspicor celebre illud ac pervulgatum ubique gentium Thebarum nomen: Theba enim, ut ex Montano constat, nomen est arcæ Noëmi proprium: unde apud Phœnices Theba navigium significat, indeque Thebarum nomen deductum opinio est. Hujus autem nominis urbes, qua in Europæ, qua in Africæ ora, frequentes existere compertũ habetur apud Cosmographos: nempe in Ægypto hujus nominis urbs est nobilis, à centum portis quibus prædita erat, Hecatompylos à Stephano cognominata; sunt & Thebæ in Bæotia Heptapylæ, tum antiquitate, tum rerum in eis gestarum claritudine percelebres; extant & aliæ ejusdem nominis in ora Macedoniæ, in Sinu Corinthiaco, apud Lucanos in Italia, in Arabia quoque fœlici, itemque in Ionia, in Attica, in Syria, in Cilicia, in Phrygia ad Trojam, & alibi passim; novem numerantur ab Eustathio

Hieronym. scribit vocatam suo tempore Thebestim. in epist. ad Galat. Inde regio Ægypti dicta Thebais.

thio Homeri interprete, ab Ortellio haud paulo etiam plures; quarum quidem omnium appellationem ex eo declinari suspicor, quod earum conditores illuc navibus primum appulerint, vel ab arcæ istius nomine Thebah apud Hebræos, finitimosque Tyrios, Phœnices, Sidonios, aliosque oræ Syriæ populos, à quibus in varias mundi partes Colonias primitus deduci contigit. Unde tralatitium & vulgare illud. *Prima ratem ventis credere docta Tyros.* Tibull. el. 7. lib. 1. Cadmum nempe, à quo voces suas pariter cum sacris acceperunt Græci, vulgo Tyrium seu Phœnicem esse habitum constat, quidam Judæum, Cananæum alii fecerunt; & vero Cananæa, si pressius accipiatur, eadem est ac Phœnicia, & interdum eadem est ac Judæa. De illo itaque in Græcorum monumentis extat eum Thebarum Bœotiæ conditorem fuisse, cui oppido nomen fecerit ab ipsa Noëmi arca Theba Hebraicè dicta, aut certe à navi qua trajecit, quæ Phœnicum idiomate Theba dicebatur: quin & ipsamet Bœotia dici cœpta est Aonia ab Oni sive Aoni, hoc est, navis; puta quod nave eo advectus sit Cadmus, vel certe potius ab ipsamet Noëmi arca, cujus beneficio

hominum genus ab universali naufragio vindicatum fuerit. Eodem spectat quod de Jano similiter apud Latinos memoratur, eum videlicet primum in Italia regnasse, navigiorum atque nummûm cudendorum usum invenisse; compluresque idcirco civitates in Græcia, in Italia, in Sicilia, bicipitem figuram in nummis ex una parte imprimere solitas fuisse, ex altera vero, vel pontem, vel coronam, vel navigium: ut in numismate, quod apud Joan. Sambucum extat, cernere est; in una enim parte caput biceps visitur, in altera navigiorum dimidiatæ quædam formæ; Lucilius vocat quadrantem ratitum, quod, ut à Festo & Plinio scribitur, in eo sculpta esset ratis figura. Mitto luculentum ea de re testimonium, quod apud Athenæum lib. 15. ex quodam Dracone Corcyræo habetur, quia longiusculum est, & curiosus Lector, ibi legere, si vacat, poterit. Hunc porro Janum Berosus Annii lib. 3. eundem habendum esse cum Noëmo putat, qui vel ob ebrietatis notam, vel quod vitium serendarum aut colendarum autor fuit, Janus, id est, Vitifer sive Vinifer ab Hebr. Jaim, vel Jen, hoc est, vinum, dici meruit, fingique adeo ac pingi bifrons consuevit, quod Noë viderit

derit tam sæculum quod erat ante Diluvium, quàm quod fuit post illud, de quo Nasonianum illud jure cani possit ex primo Fastor.

Jane biceps anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides:

Utiq; in rem nostram apposite; quamquam non de ipsomet Noë hæc, sed de aliquo ipsius nepote, vel pronepote accipienda esse, labor facile ut suspicer. Verùm ne longiùs fortè quàm par sit dilabamur, ad propositum redeo de navigandi & navigiorum usu sub Diluvii tempora protinus reperto ab Noëmi posteris, forte an ex iis quæ divinitus de fabrica & structura arcæ docti fuerant. Itaque ante Diluvium nullus dum fuerat navigiorum usus, nullus dum itaq; qui maria trajicere potuerit: quod namque refert Moses Barcepha de mari Oceano à primis parentibus, cum è Paradiso exacti sunt, pedibus trajecto, merum est vesani Apellæ somnium: pudet me anilitatis Rabinicæ: quamquam non omnium Rabinorum fuit hæc sententia. Rab. quippe Isaacum modo audivimus, cum diceret, primos parentes traduxisse ætatem in agro, sive tractu Damasceno, hominibus nondum dispersis; quæ pugnant cum trajectione illa Oceani Mosis Barcephæ:

Isidor. l. 19 c. 1. scribit omnium primos navem fabricasse Lydos, & incerta pelagi petentes humanis viribus mare pervium fecisse. At Lydos pro Tyros positum, vel Tyrios reor.

ſed ſinamus Rabinos more ſuo nugari, ſuaque nugamenta ſuis venditare aſſeclis, ut ad relatum ante ex Lipomano argumentum revertamur, quod ſi rite expenditur, magni eſſe momenti deprehendetur: Ait namq; ex eo quod nullius diſperſionis hominum in varias terræ partes ante Diluvium factæ Moſes meminerit, nequaquam ante Diluvium factam videri: quod quidem argumentum in bono lumine poſitum, ſatis eſſe videtur toti huic quæſtioni diſceptandæ: nam cum videamus ex cap. 10. & 11. Gen. tantum operæ impenſum à Moſe in deſcribenda hominum diſperſione illa, quæ poſt Diluvium contigit, quis non facile intelligit, ſi quam forte prius fieri aliquando contigiſſet, pari modo in ea itidem deſcribenda Moſem elaboraturum fuiſſe: quidni enim? quænam quippe in illa quam in hac ratio potior? ut hæc inſuper haberetur, illa tanto verborum apparatu atq; ambitu informaretur; haud ſane apparet: quin imò & in hac id quodammodo potius habendum, quod hæc prima omnium eveniſſet, unde ſibi eo nomine ſaltem primas vendicare, videri poterat: quare quod de ea neutiquam Moſes commeminit, non levi argumento eſt nunquam fuiſſe.

Atque

Atque hæc demum Lipomani seu Autoris Catenæ mens esse videtur, dum ait in Scriptura proditum, ad Diluvium usque, homines non nisi minimum orbis terrarum angulum tenuisse, nec dum fuisse toto orbe diffusos, quia in sacris literis nulla fit eorum descriptio qui tum per terras diffusi fuerint, q. d. prout modo exposui; scimus descriptionem eorum qui per terras diffusi sunt in Scriptura extare; etenim verò non nisi post Diluvium eam extare scimus: quid nimirum id sibi vult aliud nisi ante Diluvium neutiquam diffusos homines fuisse? Ecquid enim, si ita evenisset, descriptionem eorum præteriri à Mose attinebat? à quo tam accurate & sedulo aliam eorum qui post Diluvium diffusi sunt, factam conspicimus. Jam ergo ex Scriptura, Lipomano interprete, habemus Diluvii tempore homines nondum toto terrarum orbe diffusos, sed parte aliqua (angulum vocat ille) contentos fuisse. Hanc porro partem sive angulum nos illi orbis parti, quæ Asia Major dicitur, jam addiximus, & quidem rebus, ut videtur, necessariis: de Asia quippe hac ex dictis constat in ea homines ante Diluvium egisse, ac proinde in ea quoque accidisse Diluvium;

Si contigisset fieri dispersionē hominum ante Diluvium, non apparet quare ejus Scriptura non meminerit.

atque hoc ratum haberi modo convenit. De eo autem quod inde in quæstionem vertitur de totane videlicet Asia, atque adeo sola, hoc intelligi debeat? nec ne? sic paucis edissero.

PARS VII. Si Eugubino Scriptori apprime erudito & gnavo creditur, is certe lib. 2. de perenni Philos. cap. 2. Diluvium in Chaldæa, Mesopotamiaque, in qua Regione tantum, homines tum degebant, inundasse perhibet. At mihi paulo aliter visum, & ne tam arcte finibusque tam exiguis contraham, movent me cumprimis ipsa Scripturæ verba, queis fertur Diluvium hoc factum super universam terram, & alia hujusmodi, de quibus supra; ut enim hæc Scripturæ locutio terram omnino omnem haud semper sonet, ejus tamen partem aliquam longe maximam haud dubie importat. Sic namque Evangelicum illud ex Lucæ 2. *Ut describeretur universus orbis*, vulgo interpretantur de Romano orbe, id est, Romanorum ditione, quam latissimam longeque maximam fuisse nemo nescit. Pariterque illud de Tenebris in Chrsti morte factis super universam terram; de sola licet Judæa sive Palæstina ab Origine acceptum viderimus; tamen latius multo accipiendum, probat quod de Dionysio Areo-

Areopagita memoriæ proditum extat, cum videlicet Alexandriæ dum esset, visis ejuscemodi tenebris in has voces erupisse, *vel Deum naturæ pati, vel rerum naturam brevi dissolutum iri*: quod si verum est, facile arguit, non solius Iudææ finibus contentas fuisse ejuscemodi tenebras, sed finitimas quoque, atque adeò nonnihil dissitas regiones attinuisse. Simili modo & illud ex Actis 2. interpretrari convenit, de cætu & conventu Iudæorum, quem Hyerosolymis ad Penteosten haberi contigit de omni natione quæ sub Cœlo est; hac quippe phrasi longe maximam terrarum partem, ubi tunc temporis Judæi toto propemodum orbe dispersi degebant, significari palam est: par demum est ratio eorum quæ ex veteri instrumento adduximus, si ad eandem trutinam stat expendere. Sed hactenus in rem nostram sufficit, datur siquidem hinc satis intelligi hac Scripturæ phrasi, non unam aliquam terræ exiguam portionem, sed partem longe maximam designari. Ad hæc moveor etiam reipsa, etenim, ut nondum forte ab hominibus Asiam omnem occupari contigerit, seu ejus dumtaxat mediterranea, Armeniam videlicet (ut Temporario collibitum) in cujus item

Scriptura videtur innuere, non modicam partem orbis, sed longe maximam fuisse Diluvio obrutam.

item montibus postmodò arcam substitisse perhibetur, vel Assyriam, ubi de Babelica turri exædificandæ initum est consilium, vel utramque pariter, vel aliquanto amplius; nec enim ad decempedatorum normam exigere hæc attinet. Convenientius tamen visum fuerit, & scripturæ phrasi congruentius, paulo magis protendere fines, & totam circumquaque Asiam complexum esse Diluvium existimare. Quod ne fieri temere à me quisquam putet, Genebrardi hæc fuit sententia ex R. Selomone, qui refert Oceani exundationem tertiam mundi partem perdidisse; quod ab eo dictum reor ratione habita antiquæ divisionis ante exploratam repertamque Americam, cum in tres duntaxat partes, terrarum orbem partiri solerent Cosmographi, Europam videlicet, Africam, atque Asiam, de qua quod de tertia parte ait intelligendum venit, opinor, atque etiam facile subscribo; namque in re obscura & insolita præeuntem sequi juvat. Totam itaque Asiam aquis circumfusam statuo, etsi nondum forte tota usque quaque ab hominibus teneretur. Et vero ni ultra eos fines quibus continebantur tum homines Diluvium protendi detur, vix equidem video

Aristoteles, Ptolem. Plin. Strabo, cæterique antiquiores.

quî

quî factum sit, ut ex hominibus aliqui, seu fuga, seu nando etiam, aliave quapiam via non se morti subduxerint: scilicet qui prope ab iis partibus aberant quas Diluvium non attigit; potuisse, nemo inficias ierit: nimirum in proximo atque ob oculos quo se reciperent fuit; quid si forsitan natator aliquis Delius inibi repertus? Memini equidem, me olim hominem videre, qui facto in mari naufragio, sex aut septem milliaria, hoc est, leucas nostrates duas, sive Francicas quatuor, continenti spiritu, cum sarcinis etiam enataverat; Quidni inter Gigantes illos Polyphemum quempiam inveniri fuerit, qui vel per medios fluctus stadia aliquot, sed & quicquid viæ erat ad receptum, si id parum fuit, gradiendo emetiretur, sicque evaderet? mirum prorsus non sic evenisse. Quamobrem scrupulis hisce omnibus amovendis nihil expeditius quam Diluvium tota quàm late patet Asia circunscribere: nullum enim inde effugium apparet, seu quod procul ab ejus oris atque extremis partibus remoti homines in mediterraneis adhuc degerent, seu quia mari undique, maximisque amnibus pars ea mundi clauditur, ut ex ea vix pateat exitus, nisi ope navium, quarum necdum fuisse usum jam

jam vidimus. Terram autem Asiam qua mari, quave maximis amnibus clausam ac quodammodo vallatam esse perspicuum fit vel ex autopsia tabularum cosmographicarum; nempe ad ortum oceano orientali immenso ab America discludi cernitur, ad occidentem maria habet mediterranea, ab ostio Nili ad Pontum usque, & Mæotim paludem, inde fluvium Tanaim, nec procul est ad septentrionem mare congelatum seu Scythicum oceani pars, denique ad meridiem immensum quoque oceanum habet, nec non & Sinus Persicum atque Arabicum, seu Mare Rubrum; quibus absque navium usu tranandis nullus par esse queat Polyphemus, nullusve natator Delius. His veluti claustris atque obicibus longe maximis prohiberi homines, quominus sibi fuga consultum irent, difficile haud fuit. Quare in re admodum ambigua pro conjectura minime dubia habendum censeo, totam quam late patet Asiam Diluvio fuisse opertam. Et quoniam nihil est quod Diluvium extra eam oppido progressum evincat, nos ejus quoque finibus, Diluvii fines plus minus, platice, & parataticôs, ut dicitur, hoc est latius paulo circumscribimus.

Totius Asiæ majoris finibus Diluvium circumscribere attinet.

Atque

Atque hic porro hujus difputationis finem facere fubit: fi prius tamen quicquid hujus opinionis eft à me hic afferri in eam rem contigit, paucis ac velùt in fummam collectum repræfentavero. Igitur fic concludere nunc tandem licet, videri Diluvium hoc Noëticum in tota eaque fola præter propter terra Afia, quæ quarta orbis terræ pars eft, accidiffe; utpote extra quam nihil tum eftet hominum: atque inde hoc Diluvium merito dici à Mofe ex idiomate & ufu Hebraico, factum fuper omnem terram, fuper univerfam faciem terræ, montefque omnes, qui fub uviverfo cælo funt, operuiffe, & fi qua funt alia id genus, per fynecdochen hyperbolicam; cujus perfimilia videre eft exempla alibi fcripturæ paffim, tum veteris, tum novæ, merito item à Patribus & Tractatoribus orthodoxis pro univerfali & Generali habitum, ficque appellatum, non tam quidem, uti vulgaris fert opinio, quod totum ufquequaqe terrarum ambitum obtinuerit, quam quod nulli hominum, aut forte etiam animantum, pepercerit, five qnod terram omnem, quæ tum habitabatur, œcumenem, ut Græci vocant, complexum late fuerit: Certe vox hæc œcumene, quæ aliud proprie non fonat quam

PARS VIII.

Diluvium hoc universale dicitur sive œcumenicum, quod terram omnem quæ habitabatur involverit.

quam partem illam terrarum quæ habitatur, non raro tamen pro orbe etiam toto accipitur: Sic namque Aristotelis de mundo illud cap. 3. œcumenem verò hominum fere sermo in insulas divisit, & continentes. Ex quo Apul. de eodem mundo sic effert; *plerique terrarum orbem ita diviserunt, partem ejus insulas esse, partem vero continentem vocari:* Sic apud Demosthenem de Corona, Æschinem contra Clesiph. Plutarch. in Alex. Athæneum, aliosque. Hinc œcumenicum vulgo dicimus quod ad universum terrarum orbem pertinet, ut œcumenicam synodum generale concilium, quod ex omnibus universi partibus coalescit. Adeo verum est, nihil admodum videri interesse universum inter orbem terrarum, & id præcise terrarum ubi sunt homines; dicamus, si placet, humanum orbem: si enim (uti vidimus jam) orbis Romanus pro universo accipi sit solitus, quanto potiori iure in orbem humanum id competet: qui quidem totum atque universum genus hominum &,quantumcumque est terrarum quod ab hominibus incolitur, comprehendit. Quod cum ita sit, quis nunc æqui non consulat, Diluvium hoc plane œcumenicum, id est, toto terrarum orbe

be habitato, eoque etiam amplius diffusum, generale, universaleque adeo appellari? Verba quidem ipsa ex antiquo & vulgari usu teneamus, sententiam vero ad rationum momenta ipsiusque veritatis scita exigamus, juxta illud veriverbium vetus, *loquendum esse cum multis, sapiendum autem cum paucis.* Quamquam de me ut hoc tandem dicam, cum multis etiam sapere consilium est, quod ejus fieri attinet: quicquid itaque à me in præsens dictum fuit, si vel uni bono displicet, jam indictum volo: dicis gratia, vel certe eximendo tempori dictum esto. Professus antea sum, me nihil in re præsenti affirmatum, nihil nisi ex suspicione dictum velle, idem nunc denuo profiteri haud piget Nihil dum equidem hic affirmo, contentus tractatoris atque interpretis partes tueri, omnia quoad potui probabilibus conjecturis rite exsecutus sum, in quibus coargui vincique ab omnibus facile patior, dum meliori aliqua ratione inniti comperero. Pretium autem hujus operæ quodnam porro futurum sit, nescio, nec scire admodum laboro; divinæ imprimis gloriæ noster omnis labor atque industria impenditur: Dein volupe est suo cuique animo satisfacere: ad extremum

hæc

Nihil porro est quod præjudicet, ut enim Diluvium hoc universale hactenus sit habitum, non est tamen ullo, quod sciam, Ecclesiæ, vel cujusquam è SS. PP. præjudicio præscriptum cautumve, ut ne dicatur quod dicimus.

hæc digna quoque obſervatu, & quæ in medium proferrentur, viſa ſunt. Quod ſi cui tamen minus forte probatum iri accidat, non repugno, ſuum cuique eſto arbitrium, modo mihi meum maneat; nec deterioris me conditionis quiſquam eſſe velit, quod viam aliis præire & arduam atque inacceſſam difficultatem tentare primus omnium, quod ſciam, auſus ſim; hinc potius mihi veniam, ſi labi forte, aut errare contigerit, ab æquis judicibus ſpondeo, cum quam proclive ſit novum iter ingredienti, in lapſum, aut in errorem impingere, nemo, opinor, neſciat. Cæterum ut ſit cumque, ne mihi hic quicquam jure à ſapientibus objici queat, cuncta ſapientum ipſorum, atque adeo eorum omnium quorum intereſt, cenſuræ, definitionique ſubiecta volo.

PARS IX. Poterant hæc propoſitæ quæſtioni enarrandæ prorſus ſufficere, ut quidem videtur, nec ulterius progredi mens erat: ni interveniſſent quibus difficultatis & ſcrupulorum nonnihil è dictis adhæſerat; in quorum gratiam velut ſupremam manum eruendis ipſorum ſcrupulis hic apponi placuit. Primùm igitur in id quod diximus, ſolam videri Aſiam aquis obrutam, reliquo terrarum

rum orbe illæfo, captu difficile videri ajunt, quînam & qua demum vi effe-ctum fit ut aqua in ea orbis parte fupra terram conglobata, mole tanta, ut editiffimos quofque montes quindecim cubitis excederet, ita valuerit confiftere & inhiberi, ne in reliquas terræ partes, vel fuopte impetu ac pondere deflueret: nimirum abfque miraculo id nequaquam poffe effici perfuafum habent; quare hoc mihi paucis pro inftituta brevitate difcutiendum nunc venit.

Et verò, ut nihil miraculo detur, poffem eorum quidem Philofophorum dogmatis ftare, qui de Oceano, prout nunc habet, atque à primo rerum conditu fuit, poftquam digeri à Deo ita cœptus eft, hunc in modum philofophantur ut dicant aquam Dei juffu ita in unum collectam, ut feorfum terræ partem occupet, inque ambitum tumoremque immenfum elata, globum à terræ globo diverfum inftituat; quo de apud Perer. lib. 1. in Gen. num. 102. & Connimbric. in lib. 2. de Cœlo c. 14. quæft. 4. artic. 1. Ajunt itaque hi primo quidem, mare terra effe altius, idque adeo Dei folo juffu teneri ne ad humiliora terræ loca, quo naturaliter propendet defluens, terram omnem ope-

riat

riat atque obruat. Quod Scripturæ compluribus testimoniis videtur adstrui, nempe Psalm. 103. *Super montes stabunt aquæ*; necnon & Psal. 32. *Congregans sicut in utre aquas maris*, vel prout fert Hebr. *Congregans sicut tumulum seu acervum aquas maris*: cui affine est illud Ecclesf. 39. *In verbo ejus stetit aqua, sicut congeries*, & alia alibi, quæ apud citatos modo videre est. Deinde ajunt iidem, id non eo adscribendum miraculo, vel divinæ uni omnipotentiæ; sed magna ex parte propensioni aquæ naturali qua se in rotundam solet figuram circumvolvere ac complicare, uti videmus in singulis ejus guttis, inque aliis ejusdemmodi experimentis, in quibus cernere est, aquam, ubi maxime tueri se ac conservare satagit, conglobari. Et quidem ita, ut inde à descensu seu casu inhiberi, seque adeo sustinere conspiciatur; quod si etiam divina ad id ope opus sit, non eo tamen miraculum agnoscũt aliud quàm quod in ipso conditu intervenit, dum aquæ quibus terra primitus circumfundebatur, Dei jussu in unum congregatæ sunt; contra quàm Elementorum ordo & natura ferat; sunt hæc cuivis in promptu, quibus, si libet, uti liceat.

Verùm.

Deus Diluvii autor & effector, eo quod aquas omnes ad submergendos homines civerit, non aerias modo, sed marinas etiam seu per se seu per angelos.

Verùm quoniam mihi paulo aliter philosophari stat, hac ratione uti nolo, sed aliud nunc afferre subit: nempe ut divinæ id potentiæ adscribendum censeam, cui erat ita constitutum eam terræ partem aquis obruere, in qua homines quos perdere decreverat, tunc degebant: hoc consilio igitur ad tantam aquarum vim faciendam quanta opus erat exsuperandis montibus editissimis ad quindenos usq; cubitos, maris aquas, magna saltem ex parte, eo placuit adsciscere; quod pro eo ac voluit omnino effecit. Idque videtur apud Mosem prorestatus cap. 8. in hæc verba: *Ecce ego adducam aquas Diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem,* &c. quasi diceret, cum præter ac supra naturæ vim omnem sit positum, eo aquas maris attollere, ut cubitis quindecim celsissimos montes valeant excedere; faxo tamen ipse, ut quo interficiendis omnibus pariter hominibus sufficiant, adducantur eo nimirum, ut supra altissimorum montium cacumina existant, ne cuiquam mortalium evadendi locus suppetat; ita porro factum constat divinitus, uti ab eo pronunciatum fuerat: quanam vero ope; an Dei unius, vel Angelorum opera, aut certe ventorum adhibito impulsu?

non

non equidem definio; aliis aliter opinari placuit, nec quicquid dixeris magni, opinor, intereſt. Quare nihil hic ultra moror, nec video quidnam inde ſcrupuli hærere cuiquam poſſit. Mirum eſt, vel ipſis Ethnicis etiam id ſuboluiſſe. Senecam juvat de hac re (quantum quidem ferebat paganorum inſcitia) non inſcite diſſerentem audire, lib. 3. quæſt. nat. cap. 27. & ſeq. ubi ſcire avens: Quemadmodum magna, ut ipſe ait, pars terrarum undis obruta ſit. Utrum Oceani viribus factum fuerit? Crebri abſque intermiſſione imbres, & eliſa æſtate hyems pertinax immenſam vim aquarum ruptis nubibus dejecerit? An flumina tellus fuderit largius, aperuitque fontes novos? Aut non una ſit cauſa, ſed omnis ratio conſenſerit, & ſimul imbres ceciderint, flumina increverint, maria ſedibus ſuis excita procurrerint, & omnia uno agmine ad exitium hnmani generis incubuerint? Hoc ultimum probare, nec non & è quodam Fabiano adſtruere demum videtur. Primo igitur, inquit, *immodici cadunt imbres & ſine ullis ſolibus triſte nubilo Cœlum eſt, nebulaque continua & ex humida ſpiſſaque caligine numquam exſiccantibus ventis.* Ac poſt multa ſubjungit; *Procellæ quatiunt*

tiunt mare, tunc primùm auctum fluminum accessu, & sibi angustum jam promovet littus; non continetur suis finibus, sed prohibent exire torrētes, aguntq; fluctus retro, pars tamen major ut maligno ostio retenta restagnat, & agros in formam unius lacus redigit. Jam omnia,quæ prospici potest, aquis obsidentur: omnis tumulus in profundo latet & immensa ubique altitudo est, tantum in summis montium jugis vada sunt. In ea excelsissima cum liberis conjugibusque fugere, actis ante se gregibus, diremptum inter miseros commercium ac transitus, quoniam quicquid summissius erat, id unda complevit. Editissimis quibusque adhærebant reliquiæ generis humani; quibus in extrema perductis, hoc unum solatio fuit, quod transierat in stuporem metus, nec vacabat timere mirantibus; ne dolor quidem habebat locum; quippe vim suam perdit in eo qui ultra sensum mali miser est. Ergo Insularum modo eminent montes & sparsas cycladas augent; ut ait ille Poëtarum ingeniosissimus egregie; sicut illud pro magnitudine rei dixit. Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto. Subdit postmodo. *Quibusdam placet moveri mare, & illinc causam tantæ cladis accersi: non potest torrentium aut imbrium aut fluminum injuria fieri, tam*

grande naufragium. Ubi instat illa pernicies, mutarique genus humanum placuit, fluere assiduos imbres & non esse modum pluviis concesserim; suppressis aquilonibus & flatu sicciore, austris nubes & imbres, & amnes abundare, &c. Mox; *Denique cum per ista prolusum est crescunt maria, sed super solitum & fluctum ultra extremum, tempestatis maxime vestigium mittunt. Deinde à tergo ventis surgentibus, ingens æquor evolvunt, quod longe à conspectu litoribus frangitur. Deinde ubi litus bis terque prolatum est & pelagus in alieno constitit, velut admoto malo cominus procurrit æstus ex imo recessu maris. Nam ut aëris, ut ætheris, sic hujus elementi larga materia est, multoque in abdito plenior. Hæc fatis mota, non æstu (nam æstus fati ministerium est) attollit vasto sinu fretum, agitque ante se: Deinde in miram altitudinem erigitur, & illis tutis hominum receptaculis superest.* Actum de maris altitudine & effluxa obiter disputat, indeque subdit. *Ergo ut solet æstus æquinoctialis, sub ipsum Lunæ Solisque coitum, omnibus aliis major undare: sic hic qui ad occupandas terras emittitur solitis maximisque violentior plus aquarum trahit, nec antequam supra cacumina eorum, quos perfusurus est, montium crevit, devol-*

volvitur. Per centena millia quibusdam locis æstus excurrit innoxius & ordinem servat, ad mensuram enim crescit iterumque descrescit; at illo tempore solutus legibus sine modo fertur; qua ratione? inquis: eadem qua conflagratio futura est, utrumque fit cum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur, ex his ortus, & ex his interitus est. Ergo quandoque placuere res novæ mundo; sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignis cum aliud genus exitii placuit. Ac rursus paulo post: *Itaque non pluvia istud fiet, sed pluvia quoque; non incursu maris, sed maris quoque incursu; non terræ motu, sed terræ quoque motu: omnia adjuvabant naturam, ut naturæ constituta peragantur.* Quæ exsequi pergit ad extremum usque libri, naturæ viribus & causis cuncta adscribere certus.

At nos sacra docti ductique historia paulo aliter idem possumus enarrare, in hunc videlicet modum; ut quod Scriptura ait raptos omnes fontes abyssi magnæ & cataractas Cœli apertas esse, & factam esse pluviam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus; cum non uno è Patribus nos de duplici causa Diluvii interpretemur; puta eruptione fontium abyssi magnę,

& apertione cataractarum Cœli, unde continuatio pluviæ per quadraginta dies extitit; nec aliam puto causam esse exquirendam, cum Scriptura nihil aliud significarit. De his autem quomodo sint accipienda videndum porro est. Per fontes ergo abyssi magnæ intelligi puto omnes aquarum scaturigines quæ terris superfunduntur, quarum magna crebraque facta est disruptio, ita ut non per modicos anfractus meatusve, uti modo assolet, sed maximis hiatibus & scissuris sive ingentibus chasmatis aqua eruperit, atque exundaverit, adeo ut nova inde flumina & stagna, novique lacus extiterint, & quæ erant antea, subinde immersa aquarum vi aucta fuerint; Per cataractas autem Cœli apertas intelliguntur nubes imbriferæ & nimbosæ, aquis vehementibus fœtæ, quibus apertis ac veluti effractis tanta vis pluviæ profusa est, ut non jam guttatim, sed quasi è fenestris patentibus ruens præcipitari in terras cerneretur. Duplicem ergo causam materialem proximam Diluvii Moses hic affert: Nam continuatio pluviæ per quadraginta dies, non tam pro causa ab aliis diversa habenda est (ut recte monet Pererius) quàm pro effectu hujus apertionis & reserationis cataractarum;

& vero non pluvia solum, sed ipsa aquarum è terra scaturientium eruptio dies quadraginta itidem tenuit, quamvis id Moses non expresserit. De mari autem num ad Diluvium quicquam contulerit quæstio esse potest: sunt qui per abyssum magnam, cujus fontes ruptos Moses refert, mare intelligant: at Ruperto ac Cajetano, aliisque refragantibus, quorum sententiæ ut accedam ipse, facit, quod quomodo maris fontes rupti dicantur non video ad inundandum terram; ad hæc si mare loco moveatur ad occupandum terræ solum, quid fiet ipsius loco? quem manere vacuum & inanem necesse sit, vel aliunde suppleri oporteat, quod perinde est, uti ante docui; quare non video quid de eo aliud dici queat, nisi auctum, qua imbrium, qua fluviorum & torrentium, quave scaturiginũ subtus ebullientium aquis in magnam molem intumuisse. Quod si ventorum flatu & impulsu, vel etiam Angelorum opera, aut alia quavis ope in eam partem in qua degebant homines, quamque Diluvio obrui oportuit protrusum, in eamque occubuisse dixeris, nihil video non probabile, & Dei proposito consentaneum. Itaque repagulum & obex, quo Diluvii aquæ in eam par-

Aqua pleraque omnes undique ex omnibus terræ partibus eo versus, ubi Diluvium fuit, excita, quatenus fuit opus.

partem effuſæ exundanteſque, aliorſum ne diffluerent ſunt inhibitæ, ac velut ſufflaminatæ, non aliud fuit præter divinam hanc opem, qua ſuum ut exequeretur conſilium Deus uti voluit, ſive per ſemetipſum, ſive per Angelos, aut ventorum vi, in ilam terræ partem quam incolebant homines, quæque illorum vitiis infecta erat, aquas immittendo exaggerandoque, quoad opus fuit. Angelorum meminit Fromond. loco jam citato, quos vocat ipſe Aquarios, atque horum munus fuiſſe vult aquarum molem ut retinerent ne eodem revolveretur: ac tandem concludit, cum tota hæc inundatio à Deo fuerit, nihil verendum tot admittere miracula quot neceſſaria ſint ad Hiſtoriæ veritatem. Quod verum equidem reor, modo Theologorum, aut Eccleſiæ ſcitis minime adverſentur; quale hoc eſſe duximus, de quo ſupra, eorum qui novas volunt aquas fuiſſe in uſum hujus Diluvii à Deo creatas, ac deinde in nihilum poſt Diluvium redactas, quod Orthodoxis Doctoribus non placet.

Pars X. Alium eſſe ſcrupulum ſunt qui objiciant, ex eo ſumptum quod cum homines ante Diluvium perdiu viverent, ſimulque perfecundi eſſent, ac

Dei

Dei voluntate propagationi assidue incumberent, & operam darent liberis, fieri haud potuerit, quin multiplicatio ingens facta sit, cui capiendæ non suffecerit Asia, ideoque in alias quoque terras distribui oportuerit. Ita Lessius *lib.* 13. *de perfect. divin. cap.* 6. & alii: quibus ut respondeam breviter, ajo primùm, ut fuerint ævi illius homines vitæ longioris, fuisse tamen ad generandum tardiores, uti ex Scriptura patet, quæ refert plerosque nonnisi post centum eoque plures annos genuisse. Imo Noë suum traditur primogenitum non ante annum quingentesimum genuisse. Quod si ex Augustino excipias, minime ex eo quod Scriptura eorum non meminerit qui fuerant ante geniti, consequens esse nullos esse antea genitos: Respondeo utique hanc esse quorundam opinionem qui ita factum volunt in gratiam Christi, cujus potissimum genealogia intenditur: verum ut cum plerisque aliis, quod verius existimo dicam; cum Scripturæ moris sit post narratam quorundam generationem, qui ad Christi genus pertinebant, aliorum subinde ad Christum minime pertinentium meminisse confusim, sub hac generali clausula, *genuitque filios & filias*, qua singulorum Pa-

L. 15. *de civ. vit. c.* 15.

triarcharum prosapia subtexitur, quidni pariter mentionem factura fuerit eorum qui præcesserunt, etsi ad Christi genus minime attinerent; quandoquidem & aliorũ commeminit Scriptura, qui non pertinebant ad Genealogiam Christi; ecquid enim Japhet? quid Châ? quid Japheti? quid Chami, aliorumque multorum posteri; quid Abel ipse, quid Caim, eorumque posteri ad Christum pertinebant? qui tamen quia vel primogeniti vel inter priores aut primos geniti erant, memorantur à Scriptura, prȩsertim cum primogenitorũ maxima haberetur ratio, quippe qui Sacerdotes essent, & aliunde constet è Scriptura, ut in Ismael, & Esau, & filiis Isai, & David, accidit, fuisse nominatos semper primogenitos, tametsi ex illis nasci Christus non debebat, & vicissim nominatos semper fuisse eos ex quibus nasci Christus debuit, licet primogeniti non essent. Unde demum colligo, vel mortuos fuisse eos qui antea geniti essent, si quos nasci contigisset, ac proinde ad multiplicationem humani generis nihil intererat eos fuisse genitos, vel certe neminem ante eos qui in Scriptura velut primogeniti recensentur, genitum fuisse, nec proinde ullam inde propagationem consequi potuisse.

Ante Diluvium multiplicatio hominum facta est ex uno. Post Diluvium autem è tribus: hæc itaque major extitit.

Ac-

Accedit huc porro, quod observatu dignum videtur, hominum multiplicationem Diluvii tempore non omnino atque in totum absolute factam dici in Scriptura, sed cœptam dumtaxat: sic namque initio cap. 6. expresse dicitur. *Cumque cœpissent multiplicari homines super terram*: quod ita significanter, & diserte expressum, atque annotatum, temere dictum credere haud equidem fas esse reor: nihil etenim in Scriptura otiosum, ac frustra positum existimare par est. Ecquis enimvero dixerit illud Joan. 4. (*incipiebat enim mori*) de filio Reguli, temere adjectum? quo videlicet moribundum sive morti proximũ, uti fert Græcum, non autem omnino mortuum significari ajunt *Interpretes. v. Tolet. Titelman.* &c.

Postremo de Enochi secessũ, ac quomodo cautum ipsi fuerit, disceptandum venit; non enim difficultate id vacat: siquidem cum ex Scriptura constet eum superesse, & alicubi degere, æternitatis candidatum, (ut loquitur Tertul. lib. de resurrect. carnis cap. 8.) ab omni vitio, ab omni damno, ab omni injuria & contumelia immunem, necesse est tempore Diluvii in tuto quodam receptu & seclusorio permanserit, ab aquis Diluvii semotus atque illæsus; PARS XI.

illæsus; aliunde autem ex eadem Scriptura habetur nonnisi octo animas in arca servatas superfuisse Diluvio, quod videtur pugnare cum eo quod de Enochi salute & conservatione creditur. Quare ut hoc quidem primum conciliemus, postea de loco in quo tutus fuit à Diluvio, dicturi; sic quod de octo animabus à Diluvio per arcam vindicatis ac servatis traditur, interpretari convenit, ut de his tantum hominibus intelligatur qui propalam in hominum conspectu agebant & cum hominibus conservabantur; de iis enim unis sermo est: Enoch autem ab hominum conversatione & convictu procul remotus, ut Scriptura eadem loquitur, *non apparuit, & non inveniebatur, quia transtulit eum Deus*. E medio hominum consortio sublatus, in hominibus minime numerabatur, alicubi gentium vel terrarum sursum ab omni hominum societate occultus ævum degens, quasi immortalis, nullo mortales inter numero habendus. Itaque inter eos qui Diluvium evaserunt nequaquam recensetur, sed perinde quasi nullo inter homines loco numerove esset, seorsum ab hominum catalogo reponitur, atque non tam inter vivos, quàm unus Divorum veluti reputatur.

Gen. 5.
Hebr. 9.

De

De loco & secessu in quo jam ævum agit, in quove, Diluvii tempore constitit, mihi nunc dicendum: quo de controversia est percelebris, digna vindice. In Paradiso degere, addubitari non sinit locus Eccles.cap.44.ubi translatum esse in Paradisum traditur, ut enim illud *in Paradisum*, quod in vulgata extat, minime habeatur in Græco, unde traducta est vulgata, nihil admodum refert; cum vel sola satis sit vulgata autoritas: nec dubium quin olim in Græcis exemplaribus, queis usus est noster, id quoque lectum fuerit; sane meliores eum codices nactum, compluribus argumentis exploratum habetur. Deinde ita fert eorum traditio qui Apostolorum discipuli fuere, recepta à plerisque omnibus orthodoxis, atque adeo à sanctis Patribus, à quo haud fas videatur secedere. Igitur pro certo nunc maneat oportet, Enochum divinitus translatum esse in Paradisum. At quis, qualisve Paradisus hic habendus sit quærendum adhuc superest. Cum namque id nominis in Scriptura varie accipi soleat, ut puta pro Edenis horto seu loco voluptatis, de quo supra Moses cap. 2. proque loco quovis amœno ac delectabili. Cantic. 4 & Ecclesiastici ipsius cap. 40. nec non & pro Cœlesti

Enochus in Paradisum receptus.

lesti beatorum domicilio, Luc. 23. Apocal. 2. & 2. Cor. 14. quid tandem hoc loco Paradisi nomine intelligendum veniat, haud ita mihi promptum est statuere. Vulgo quidem pro terrestri Paradiso accipi, ex Justiniano, ac Delrio, nec non ex Pererio constat. Verùm, si de Paradiso voluptatis seu Edenico (de quo Moses cap. 2.) intelligitur, ut id minus probem, multa faciunt, quæ in medium profero & strictim exsequor, ut judicium penes Lectorem sit. Accipe dum ergo quæ videantur adversus vulgarem hanc opinionem facere. In primis, id est, quod plerique Autores jam docent, mihique certum habetur, Paradisum hunc terrestrem Edenicum neutiquam modo existere, quod pluribus discussum apud Viegam *in cap.* 11. *Apocal. Sect.* 4. cernere est, si vacat; nec enim moror. satis habeo in præsens id perstringere & in medium adducere, alias forte fusius disceptandum: Ut ergo hoc quasi panegôs nunc attingam; cum facile constet Paradisum terrestrem ea mundi parte consitum fuisse qua Tigris & Euphrates coëunt, aut certè proximi sunt, quod in Mesopotamia, vel non procul ab ea accidisse, haud levibus conjecturis demonstratur, ecquis non vi-

Is Enochi Paradisus est alius ab illo Adami.

videat, cum loca hæc omnia conftet modo explorata atque adeo habitata effe, Paradifum inibi latere haudquaquam poffe? Et vero nullum ufpiam in iis regionibus Paradifi veftigium apparere, nemo inventus eft qui vel per fomnium quidem fenferit. Repertos fane aliquandó aliquos apud Rofveyd. *lib.* 1. *de vitis Patrum* è Græcor. Menæis, quos non piguerit Paradifum hunc omni ope exploratum ire; at poftquam eundo & quæritando defeffi funt, contigit ut nihil præter fpectra offenderint; Paradifi autem ne umbram quidem ipfam viderint. Quare certum, mea quidem fententia, relinquitur, nullum inibi locorum fupereffe videri Paradifum, ni fingĕre eum libeat prorfus invifum atque inftar prç-ftigiofarum quarundam arcium fefe humanis fenfibus fubtrahentem, quod commentitium & illis Tantali hortis apud Homerum haud abfimile, fabulis Poetarum adfcribendum fit. Atque hæc mea ratiocinatio tanti fuit apud fcriptorum plerofque, ut jam vix cuiquam fentire aliter videatur, malintque Paradifum dicere nullibi terrare modo videri exiftere, aquis, ut ajunt, diluvii, vel longinqua ævi vetuftate labefactatum penitufque abolitum, at-

que ita in eo Enochum nunc haudquaquam degere fatentur, in eum tamen principio fuisse delatum affirmant, inque eo ad diluvium usque vitam traduxisse, ac tum alio translatum videri; scilicet fiduciariæ possessionis lege, ut dicitur, Paradisum terrestrem ipsi habitandum obvenisse, indeque mox emigrandum alio fuisse, istarum avium instar, quas temporis injuria quotannis solum vertere cogit. Næ hæc paradoxa merito habeantur! quorsum enim ejuscemodi desultoria ac nomadica transmigratio? Edquid diverticula hæc quærere attinebat? Siquidem cómpendio fieri id potuit, quod nos volumus, ut jam à primo in eum videlicet locum deportaretur, in quem transferi postmodo oportebat, juxta scitum illud vulgare & palatitium, *frustra per plura fieri, quod per pauciora confici queat.* Quamobrem sic statuo, cum à SS. PP. ex illo Eccles. 44. dicitur Enoch translatus in Paradisum, non de illo Adami esse accipiendum, quem constat nusquam terrarum existere, sed de secessu aliquo, ubi una cum suo symmysta ac consorte Elia, immortale aut certe immortali affine ævum agit, agetque ad Antichristi usque tempora, ut fertur. Huic meæ opi-

Suar. in 3. p.t.2. disp. 55. sect. 1.

opinioni nolim quisquam fidem habeat, nisi eam rationibus atque autoribus idoneis evicero. Ac primum ut è compluribus non levis fidei autoribus, qui à me stant, præcipuos aliquot producam; Rupertus scriptor doctus juxtaque orthodoxus, *l.* 3. *de Trinit. c.* 33. diserte testatur nusquam Scriptura proditum haberi Enochum fuisse translatum in Paradisum terrestrem, sive eum in quo fuit Adam; quin neque reipsa eo translatum videri pugnat omni ope: Recitarem hic Ruperti testimonium, nisi longiusculum esset, & cuique integrum ac promptum foret librum adire. Chrysostom. quoque *hom.* 21. *in Gen.* scriptum fecit non esse curiosius scrutandum exquirendumve quem in locum contigerit transferri à Deo Enochum, quippe cum Scriptura id tacendum duxerit, plus æquo curiosi esse videtur id anxie scrutatum ire. Etenim vero si Chrysostomus in illo Ecclef. libro, vel Paradisi vocabulum legisset, vel certe eo significari putasset Paradisum Adæ, haud utique dixisset sileri in Scriptura de loco in quem translatus sit Enoch, necdum satis liquere. Illi adstipulatur more suo Theodoretus; cum enim quæstionem posuisset in hæc verba, quem in locum Deus

tran-

transtulit Enochum? ad eam sic respondet: non inquirenda quæ silentio fuere prætermissa, sed veneranda quæ scripta sunt; quibus verbis non obscure innuit, minime tradi in Scriptura quo translatus sit Enoch; mitto cætera id genus testimonia quæ penes laudatum jam Pererium diffusè exposita videre est; mihi namque in præsens sufficit testatum relinqui non esse, cur Paradisi nomen in citato Ecclesi. loco, de terrestri Paradiso accipi debeat. Quare non possum non mirari quid tandem Sixto Senensi, quem honoris causa nomino, venerit in mentem; ut *lib.5. Biblioth. annot.36.* scriberet in hæc verba: *Dicere Enochum & Eliam non esse translatos in Paradisum terrestrem, inibique versari, esse contra Scripturam & à recta fidei regula exorbitare.* Atrocem planè censuram! at illam sane quidem, ut videlicet, temerariam, qua doctissimi ac sanctissimi Patres percelluntur. Nescio an fidei Inquisitorem hac in re egerit: At id scio, non tam facile, ne dicam temere ac præcipiti judicio damnandos videri eos quorum autoritas præcipuo in Ecclesiæ loco semper est habita. Malo equidem stare iis quæ antea *lib.2.* de eodem scripserat ex Philone, Procopio,

Vide Salian. annal. sub. an. m. 987.

pio,

pio, & Augustino. Nimirum minime compertum esse locum in quem translatus est. Ergo quicquid modernorum aliqui obganniant, agamus dum modo, nostramque de Enochi sede ac domicilio sententiam constitutum eamus, & quidem brevitate quanta potest maxima. Constat jam Enochi sedem Paradisum esse, non illum utique Adami, quo de *cap.* 2. *Gen.* sed alium quempiam: neque enim Eccles. illud, *In Paradisum*, symbolicôs interpretari lubet de summa quadam animi ac corporis quiete, deliciarumque omnigenerum copia, quarum compotes sint Enoch & Elias ubicumque existant; proprie ac citra metaphoram id nominis capiendum hic censeo; puta, uti jam insinuavi pro quodam loco ac iis quos Paradisi nomine usu venit in scriptura designari. Hunc porro locum non procul à Cælo positum reor, ubi terrenæ fæcis, atque injuriarum temporis nihil est admodum. In Seder Olam fit mentio Paradisi terrestris in quadam superiore aëris parte, &c. apud Genebr. chronol. lib. 1. 7. Basilius *lib. de Paradiso* scribit, Paradisum ob situs sublimitatem nullas admittere tenebras. Rupertus *lib.* 1. *in Gen. cap.* 37. Paradisum ait esse

esse locum Cœlo proximum. Mag. Hist. Schol. *lib.* 1. *cap.* 13. ex Beda, locum ait esse amœnissimum longo terræ & maris tractu à nostra habitabili zona secretum, adeo elevatum ut usque ad Lunarem globum attingat. Alex. Alens. censet Paradisum esse in aëre quieto & tranquillo, qui superior est nostrate hoc aere inquieto ac turbulento, & locum Paradisi esse ubi finis est & terminus exhalationum & vaporum. De suprema aeris regione Cœlo vicina proclive est id porro accipere.

Sunt enimvero qui Paradisum Adami supra mediam aëris regionem situm esse dixerint, è quibus fuere Abulensis & Mag. Sent. atq; apud hunc Rhaban. Rupert, Strab. queis suffragantur Alex. Alens. aliique magni nominis & doctrinæ. Equidem ut eis minime auscultem, rationum monumenta me retrahunt. Attamen in rem nostram facit quod Paradisum inibi aliquem agnoverint; quem nos non de illo ubi fuere à primo protoplasti ante lapsum (de illo enim liquido liquere puto, non procul ab Euphrate & Tigri in terra Ana extitisse) sed de hoc nostro accipimus, de quo Ezechiel meminit, & in quo Enochum atque Eliam locandos diximus. Huc etiam facere videtur

quod

quod *Pererius* tradit *l.* 3. *in Gen.* 4, 5. *q.* 5. potuisse Enoch Diluvii tempore sublatum in aëris oras, Diluvii aquis superiores, conservari à Deo & ab exitio liberari; vult namque Scriptor ille accuratus & doctus, per annum, quo Diluvium tenuit, mansisse Enochum in suprema aëris regione, cui assentitur Bonfrerius; quod si verum sit nostræ opinioni plurimum favet: quidni enim potuerit & antea & deinceps ita manere? & quorsum transmigratio opus sit, nos stabilem illi & fixam sedem aptamus. Equidem, ut ingenue quod est fatear, quo demum loco degat nunc Enoch, quæstio est, quam Elias, vel Enoch ipse, cùm redierint, solvent; nobis nihil nunc præter conjecturas suppetit, quibus, ut cœcos baculo, ita nos uti par est. His igitur fultus, eo tandem adducor ut credam, Enochi sedem in suprema aeris regione alicubi, puta in sublimis alicujus montis vertice, ex iis qui feruntur nubes transcendere, ut de Olympo, Athone, Caucaso & Atlante vulgo est creditum, esse collocandam. Argumenta, seu conjecturæ, quibus nitor, hæ sunt potissimæ, quarum jam aliquas carptim attigi; nempe quod Paradisus ille Adamicus nullibi terrarum nunc extet, & Meso-

Serar. in 2. 2. *lib.* 4. *Reg.*

po-

potamiæ seu Assyriæ regio omnis ubi eum fuisse constat, ita nunc habitetur & culta sit, nihil ut ejus lateat, ubi Enoch atque Elias occultari possint & delitescere. Adhæc consulendum Enocho fuit diluvii tempore, ubi fuerit unque diluvium, ne una cum aliis extra arcam positis submergeretur. Itaque ut hic porro omnibus consultum sit, visum mihi est, postquam diluvium placuit in solius Asiæ fines redigere, alibi terrarum Enocho & Eliæ locum quærere; quandoquidem in terra Asiæ nusquam reperire erat, cujus celsissimi montes tegebantur aquis. Extra Asiam igitur explorandum fuit si quid forte alicubi latebrarum & secessus subsit ubi Eliæ & Enoch receptui locus sit; hunc autem locum non alium esse apparet commodiorem aptioremque quam montis alicujus fastigium, in quo procul degunt ab hominum consortio; quidni enim mons extet aliquis cujus supremus vertex sit hominum commercio impervius & inaccessus? cujusmodi Atlas memoratur, qui ex Solino & Plinio è media arenarum consurgens vastitate in viciniam Lunæ educitur, unde cœlum gestare est creditus: de Olympo & Athone feruntur quæ in rem præsentem non

Plin. l. 5. c. 1. Solin. c. 37.

non parum faciant. Certè quidem de Olympo proditur, beatorum atque immortalium ibi sedem esse. Olympi cacumen accolæ Cœlum vocant. Olympus mons excellenti vertice, inquit Solin. *cap.* 3. tantus attollitur, ut summa ejus Cœlum accolæ vocent. Ut non immerito in Cœlum raptus Elias dicatur, si eo sit delatus. *Nubes excedit Olympus*, ait Lucan. *l.* 2. *Pacem summa tenent*: & Claudian. in consulatu Manlii canit:

——————— *ut altus Olympi*
Vertex, qui spatio ventos hyemesque relinquit,
Perpetuum nulla tenebrarum nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditque recentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Vide porro quod refert *Rhodigin. l.* 1. *lect. ant. cap. ult.* ex Platonis Phædone in rem nostram mirifice conferens: *Esse videlicet terrarum regionem quandam prominentem adeò ut imbres nesciat, neque item fluminum ullos persentiat impetus. Summa perinsignisque sit aëris temperies, perindeque inibi perfectissima quæque uberius enascantur, nec desit exactissimum*

genus

genus hominum, quorum ævum sit nostro longe diuturnius, &c. Ac postea subjungit; *Quod de sublimi terrarum parte pluviis inconcussa scribit Plato, idipsum & de Olympi vertice antiquioribus proditum,* & repetit Eustathius ex Pompon. Mela l. 2. c. 1. *Athos mons est adeo elatus ut credatur altius etiam quam unde imbres cadunt, surgere, capit opinio fidem, &c* Quæ totidem verbis habes apud Solin. cap. 16. Aristot. sect. 26. problem. q. 38. *Super excelsissimos,* inquit, *montes spiritus nulli excitantur, ut super Athon, ac reliquos generis ejusdem. Atlas in Mauritania*, si vera referunt laudati modo *Plin. & Solin.* è medio arenarum consurgens vastitate, in viciniam Lunæ educitur. *Diocass. l. 75. ex Xiphilino,* Atlantem altissimum montium nubes excedere tradit. In aliquo igitur horum montium si quis dixerit Enoch cum Elia degere & ævum ibi seorsum, & clam hominibus, traducere quis non boni consulat? cum nusquam alibi commodius possint degere, Cœlo vicini, procul ab hominum consortio & conspectu, in tuto, ac tranquillo, amænove loco, extra diluvii, nec non & ventorum, imbrium, ac procella-

cellarum, aliasve temporis injurias, atque adeo humanos casus omnes, in cælitum & beatorum veluti suburbiis positi; ut jam Cœli ac Paradisi accolæ dici merito possint. Quod si quis fortè, aliis omnibus non improbatis, de ipsa amænitate addubitet, adeat is *Majoli Canicular. colloq.* 16. ubi de montium amœnis cacuminibus copiosè edisserit. At inquies demum, quoniam eo tandem conjectando progressus es, ut in uno quopiam montium hujusmodi, Enoch & Eliam collocandos putaris, in quonam tandem maxime omnium eos esse reponendos censes? Equidem sentio me in angustias redactum, ac velut in lubrico teneri, quia tamen regredi & pedem referre non licet absque probro; age dum progrediamur & per conjecturarum declivia exitum aliquem, aut tutum quoddam perfugium quæramus. Ergo ut extremæ curiositati faciam satis, sic tandem concludo, ex omnibus jam relatis montibus mihi potissimum allubescere, eum de quo dixi ultimo, Atlantem, his maxime de causis; nempe quod ejus vertex hominum commercio minus sit pervius, minusque frequentatus sub-

Paradisus in quo Enoch residere creditur celsissimi alicujus montis fastigium est.

limi-

limitate & magnitudine nulli inferior, imò etiam, ut aliquibus placet, superior multo; denique ob singularem quandam amœnitatem & fontium arborumque pulcherrimam copiam. Vidimus jam ex Solino & Plinio, ejus cacumen in viciniam Lunaris circuli exsurgere; placet nunc quæ idem Plinius ibid. mira commemorat, hic transscribere: nimirum, *è mediis*, inquit, *hunc arenis in Cœlum attolli prodiderunt, asperum, squallentem, qua vergit ad litora Oceani, cui cognomen imponit; eundem opacum, nemorosumque & scatebris fontium riguum qua spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satietas voluptatibus desit: incolarum neminem interdiu cerni, silere omnia, haud alio quàm solitudinum honore, subire tacitam religionem animos propius accedentium, præterque horrorem elati super nubila, atque in vicinam Lunaris circuli. Eum denique noctibus micare crebris ignibus, Ægiparum Satyrorumque lascivia impleri; tybiarum ac fistulæ cantu, tympanorumque & cymbalorum sonitu strepere.* Ita ille, in rem nostram mirifice, uti claret: nam præter delicias loci, ecquid fieri poteſt accommodatius in abditos

Adi Pausan. 3. in Attic. Max. Tyr. dissert. 38

Vide Plin. exercit. Salmas. pag. 293. & seq.

ditos

ditos Prophetarum latentium recessus, inque Paradisi notionem; Paradisi illius, de quo Moses, haud multum absimilis, de quo scriptum extat, inaccessum fuisse, post lapsum; hominibus, Cherubim cum flammeo ense appositis ad fores & aditum intercludentibus; quæ Cherubim non aliud præter spectra & terricula fuisse, una mecum, per boni Autores sentiunt. Consule Genebr. Chronol. lib. 1. sub init. nec non & Lud. Vives in cap. 8. lib. 18. August. de civit. Adde huc demum quod ait Eupolemus, Enochum vulgo appellatum esse apud priscos Atlantem; ut videatur nihil meæ porro conjecturæ admodum deesse. Quod si quis tamen temeritatis hoc damnandum censet, quod ausus sim, nullo duce unus tam difficilem, abstrusumve locum tentare, à Deo tot tantisque obseptum monstris, & ab humana communicatione semotum, pareo lubens ac pedem retrahere non abnuo, si ita factu opus videbitur; absit ut meas suspiciones pro fidei dogmatis atque oraculis venditem. Quod m ihi nunc propositum erat in hac mea dissertatione, id unum maxime fuit, ut quid Diluvii tempore Enocho factum sit, conjectando exsequerer,

Atlantis cacumen Enochi nec non & Eliæ sedes.

quereret, cum ratio alia non suppeteret; ad id porro exequendum nihil visum est congruentius, quàm illum extra Diluvii fines ponere, ac proinde extra fines Asię majoris, ne pluribus fictisque miraculis dare locum necesse sit; atque ibi locare, ubi hominum minor sit frequentia, minusque commercium, extra humani convictus & consortii oras, ubi latere & clam esse valeat; tametsi non sum equidem nescius promptum Deo esse, ipsum, si ita conveniens videretur, aliis quoque modis, hominum aspectui subducere, nihilo fere secus ac Christum olim redivivum atque in terris interq; homines, antequam Cœlum repeteret, passim agentem, vulgi oculis subtractum, nec nisi iis quorum è re erat, conspicuum fuisse scimus; sed neque hoc absque miraculo fuerit. Quare quoniam miraculorum mihi, quantum fieri potest, multiplicatione temperandum semper duxi, hanc viam inire placuit, quæ omnium mihi visa est commodissima atque expeditissima: ut videlicet Enoch eo divinitus fuerit translatus, ubi apud homines ultra non apparuit, in locum persalubrem, perque amœnum, qui appellationem Paradisi referre dignus sit,

non

non procul à beatorum atque immortalium sedibus, ubi denique futuri postmodo Diluvii vitare incommoda & discrimina potuerit. Quæ omnia in Atlantis verticem maxime omnium cadere & competere visa sunt. Si tamen secus videbitur cuipiam, non obnitor, nec quicquam admodum deprecor, ni ut mihi nequaquam succenseatur, quod ausus sim primus disquirere & scrutari occultos secessus & latebras in quibus Enoch cum Elia clam hominibus degant, quod detegere nondum Deo visum fuerat: videmus nova in dies terrarum spatia detegi curiosorum hominum & sagacium solertia, idque adeo illis minime verti vitio, ut multo magis gloriæ & laudi detur. Spero mihi nunc quoque idem obventurum, ut quod primo visum est temerarium, videri incipiat aliquando probabile; & si neminem habeo, qui præcesserit, fore ut habiturus sim, qui subsequatur: saltem qui ex hisce meis præsumptionibus gradum sibi faciat ad ulteriorem veritatis disquisitionem; cujus studio, quicquid à me prolatum hic est, dictum esto.

COROLLARIUM.

At unus superest porrò scrupulus, omnium quidem gravissimus, ut visum nonnemini illorum, quibus meam hanc dissertationem recognoscendam examinandamque credideram. Est autem hujusmodi; quod nempe fas esse haud retur, Scripturæ verba semper antea ab universis singulisque sensu aliquo accepta atque exposita, tandem aliquando, autore nullo, privata interpretatione sensis accipi, ac veluti, quod nimiæ cujusdam arrogantiæ semper est habitum, sibi vendicare uni veram Scripturæ intelligentiam, quasi præ aliis omnibus tibi datum sit, quod uni Christo in Apocalypsi conceditur, ut præter eum nemini liceat aperire librum & signacula ipsius solvere. Scilicet! Id nefas esse censet, ac temeritati proximum videri vult optimus Censor, cujus ipse judicio plurimum equidem tribiendum fateor. Quare ut ei satisfaciam, scrupulumque hunc amoveam, præter ea quæ à me supra sunt præstricta, lubet hic quædam subjicere, queis siquid subest controversiæ, & quæ demum sit censuræ hujus vis, palam fiat.

Age dum igitur, nefas & temerarium habetur, à vetustis & receptis Scripturæ interpretationibus recedere, novi quippiam proferre, vel comminisci: nempe intutum hoc est & errandi periculo proximum! Esto ita sane! at nova videmus indies detegi in Scriptura & novas subinde interpretationes existere.

De Spiritu Domini, quem Script. Gen. 1. ferri ait super aquas, plerorumq; quà P.P. quà D.D. sententia fuit, Eccl. testimonio comprobata, non alium esse quàm ipsummet Spiritum S. quod tandem apud recentiores exolevit.

Quod de filiis Dei & filiabus hominum è quibus orti sunt Gigantes, in hoc ipso opere à Mose traditur, vulgo ab Antiquis de dæmonibus & succubis intellectum fuit; fuere tandem quibus opinio hæc visa sit improbabilis, & de filiis Seth, filias Caim ducentibus, intelligendum affirmarint. Jamque opinio hæc nova præ illa anteriore convalescit.

Huc attinet quod ex Scripturæ sententia de animarum propagine, & ut loquebantur, traduce est creditum. Videlicet ut corpora hominum è parentum corporibus, ita & animas ex eorundem animabus propagari. Quod

Hieronymo teste, tota Occidentis Ecclesia tenuit annis plus trecentis, perque diu post indefinitum remansit, hodie pro hæresi habetur, uti perspicere est apud Bellarm. Controvers. lib 4. de amiss. grat. & statu peccati c. 11.

Sed plus aliquanto est quod subinde fieri videmus, ut quædam in scripturis passim recepta & approbata tandem aliquando emendentur; cujusmodi est quod Sap. 12. extat, ubi ad nostra usque tempora legi solitum erat; *Neque Rex neque Tyrannus in conspectu tuo inquirent de iis quos perdidisti. Cum ergo sis justus juste omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas.* Quorum quidem verborum sententia non parum torsit interpretes, quousque patrum nostrorum memoria sub Sixto V. antiqua lectione emendata legi cæptum est; *cum ergo sis justus juste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri condemnare exterum æstimas à tua virtute*: quod sententiam faciliem habet & probabilem. Suntque alia ejusdemmodi loca correctioni obnoxia, ut advertit Sibar. c. 19. suorum Prolegom. Biblic. quæst. 21. In quibus reponere liceat quod initio Genesis Tractatorum omnium consensu jamdudū obtinet de dierum Hexaemeron inter se disti-

distinctione, quam plerique omnes ita statuunt, ut velint diem secundam eo claudi commate, quo firmamenti unius effectio effertur, atque hisce textus verbis finiri: *Vocavitque Deus firmamentum cælum, & factum est vesper & mane dies secundus.* Quodque subditur de aquarum congregatione in locum unum ad diem tertiam pertinere. Atque hæc interpretatio ad nos usque progressa est adeo, ut inde optimi quique autores non dubitarint asserere diei secundæ à Deo haudquaquam fuisse benedictum. Donec tandem nostri temporis enarrationibus subiit paulo aliter interpungere, & utrumque opus firmamenti atque ipsius congregationis aquarum seu detectionis terræ, sub unam diem referre. Valde probabilis mihi videtur, inquit Petav. cap. 13. l. 1. de opific. VI. dier. distributio illa rerum & operum, ut eodem quo firmamentum, id est, Cœlum effectum est die, terra retecta sit, aquis in sua conceptacula compulsis. Næ id novum videri poterat & factu ac dictu nefas, siquidem standum sit religiosè iis omnibus quæ fuere hactenus recepta & comprobata apud Interpretes, ac veluti præscripta in vulgus. Attamen

men à Doctis id minime improbari perſpicimus: mitto alia id genus non pauca quæ apud Scripturæ Tractatores legere eſt.

Unum pro colophone libet apponere, quod quia meæ eſt conjecturæ, & parum hactenus à Tractatoribus eſt animadverſum, referre hic attinet. Actorum cap. 9. ſic fertur.: *In Joppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha*, quæ interpretata dicitur Dorcas. Sic quidem vulgata editio: at mendum ibi eſſe, ſuſpicari ſubit, proque *Tabitha* legendum eſſe *Tabia*, mecum una omnes facile intelligent, ſi attendant quod verborum fert interpretatio. Etenim *Tabia* vox eſt Syriaca, quæ ſignificat Capream, ſeu Græce Dorcada. Hæc ergo mulier quæ Dorcas dicitur interpretata, non Tabitha, quæ vox aliud ſonat, ſed Tabia eſt dicenda, ut ex vocabulorum interpretatione liquet.

Textum ergo hunc mendoſum eſſe ſi quis dixerit, non male, opinor, arguet. Cæterum mendo huic anſam præbuiſſe auguror, quod de puella Jairi filia, quam Chriſtus ſuſcitavit, extat apud Marcum cap. 5. ubi totidem verbis uſus reperitur Chriſtus,

ac

ac Petrus hic; Thabita surge, vel Thabiti potius, quod significat, respice, vulgata tamen vertit, Puella; loci utriusque analogia fortean vulgato interpreti ansam dederit sic efferendi; contra quam ratio & veritas ferant.

Itaque licet, quod sciscit Tridentina Synodus Sess 4. dare operam, ut Scriptura, ipsaque adeo vulgata editio, quam emendatissime imprimatur; quod per Lovanienses Theologos, maximeque per Cardinales jussu Summorum Pontificum Pii IV. & V. nec non & Clementis VIII. egregie est præstitum. Sed multo plus hoc est quam quod nos hic satagimus, quippe qui salvo Scripturæ textu, prorsus immutato, nonnisi de nova ipsius enarratione seu interpretatione ambigimus.

Cujus rei aliqua modo exempla retuli, possemque plura his addere; ut quod de S. Joannis morte addubitatum est, ex ipsius Evangelico textu c. ult. ubi de eo Christum dixisse proditur, *si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere*: Exiit ergo sermo ille inter fratres quod discipulus ille non moriretur. Unde creditum vulgo

est Joannem usque ad Domini adventum fore superstitem, ac tùm unà cum Enoch & Elia adfuturum, commentum indidem extitit quo quidam finxerunt illum quidem sepultum fuisse Ephesi, sed ita ut ibi dormire potius quam mortuum jacere tenendum sit, quod, inquiunt, arguit, terræ sub qua humatus jacet ebullitio, qua sicut in fontium scatebris evenit, sabulum eructari cernitur quasi ex ejus halitu dormientis id fiat. Hujus porro opinionis vel commenti fides diu obtinuit, donec tandem eluxit & caliginem hanc discussit veritas.

Proximum est quod de S. Josepho sanctissimæ Virginis Deip. viro abusque Tertull. ad S S. Gregor. & Bernard., multoque etiam post fuit creditum; videlicet ex eo quod in Evangelio non nisi Deip. sponsus appellari solet, nequaquam ejus maritum, sed sponsum duntaxat habendum fuisse, quod damnatum modo est. Atque hactenus quæ ad novas verborum Scripturæ expositiones pertinent, quibus confici demum possit quod in præsenti agitur, minime nefas aut temerarium videri Scripturæ locutiones aliter quam antea accipi consueverant interpretari.

Præ-

Prærogativam ſcio eſſe antiquorum ſententiam, penes illos eſſe poſteris facem prę ferre & conciliare autoritatem, ac prejudicium facere;at non eo prohiberi quibus veritatis ſtudium cordi eſt, novi aliquid opinari, quoad fert ratio, & modeſtia, & quod caput eſt, religio.

Hoc jure factum videmus ut in ſacris etiam, vetuſtis opinionibus exſoletis, novæ demum prodierint, quibus ſua nunc conſtet autoritas. Ita nimirum quod apud Agiographos de VII. Dormientibus extat; qui annos fere CC. dormiviſſe crediti ſunt in quadam ſpelunca; uti legere eſt apud Metaphraſtem, èque eo Surium, nec non & apud Nicephorum ac Cedrenum, aliosque, cum tamen revera non ſomno, ſed morte correptos in ſpelunca occluſos tantundem egiſſe annorum opinio ſit hodie Doctiorum. Conſule Cardinalem Baron. in Martyrol. Rom. 27. Jul.

Quid quod de lepra Conſtantini M. ipſius baptiſmo curata vulgò refertur, & apud antiquos creditum fuit, fuitque adeo à Pio V. in Breviario Romano in legenda S. Sylveſtri die ultima Decembris relatum; refragrante tamen Cajetano

tano t. 3. q. 69. art. 8. in comment. per totum. Consule item Baron. Annal. sub a. c. 324. n. 36. & q. 2. &c.

His adde quod de undecim millibus Virginum & Martyrum perhibetur, sunt nanque quibus in numero videatur sphalma esse, cui ansam præbuerit quod ita de eis scriptum extet in Martyrol. festum sanctarum undecim M. V. id est XI. Martyrum Virginum; ac quoniam M. mille etiam nota est, undecim mille lectum fuerit. Adde hic demum quod de S. Jacobi in Hispaniam profectione & prædicatione Hispanorum fert traditio, cui refragatur Baronius; déque S. Dionysii Areopagitæ, necnon & SS. Marthæ & Magdalenæ unà cum Lazaro in Galliam adventu, quæ in disputationem hodie videmus adducta ab hominibus probis juxta ac doctis: de quibus nihil equidem ipse definio, nec eò in medium profero, qui velim protinus iis assentiri & subscribere, sed eò tantum, ne si quid novæ opinionis vel interpretationis à me est prolatum, continuo detur vitio, neve mihi demum fraudi sit, quod ad disquisitionem vocare ausus sim, fueritne grassatum toto terrarum orbe Diluvium, quod quidem à me

factum